



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Herm. Conringii Supplementa Dissertationvm De Antiquitatibus  
Academicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

HERM. CONRINGII  
SUPPLEMENTA DISSER-  
TATIONVM  
DE ANTIQUITATIBUS ACA-  
DEMICIS.

HERM. CONJONCHII  
SUPPLEMENTA DISSERTATIONUM  
DE ANTIQVITATIBUS AGRICOLAE  
DENICIS

SUPPLEMENTVM I  
ad libri titulum



Scolis publicis sublimiorum scientiarum atque artium quia hodie commune passim est *Academiarum* nomen, idque nos etiam sumus secuti, forte haud abs re fuerit hinc docere, quare ratione cognomentum illud passim hodie invaluerit.

Tenendum igitur, *Academiam* initio non nisi locum unum Atheniensium suburbiorum gymnasiis instructorum audivisse. Fuerunt nempe Athenis olim, præter alia suburbana, tria cum primis splendore ædificiorum & gymnasiis celebria: Academia Lyceum & Cynosarges. Quorum posteriora duo præclare persequutus est Meursius *l. 2. Athenarum Atticar. cap. 2. & 3.* prius in *Ceramico gemino*, libro posthumo, à *cap. usq. decimonono, præcipue autem cap. 20 & 27.* Quoniam verò Platoni in Academia isthac Schola Philosophiæ publica fuit concessa, & quidem omnium prima, hinc Scholæ Philosophicæ nomine quàm maximè Academia illa Attica inclaruit. Diogenes Laërtius *l. 3. de Platone* ait: *ἐπανελθὼν εἰς Ἀθήνας διέτριβον ἐν ἀκαδημία. τὸ δ' ἔστι γυμνάσιον περὶ αἰσώδες διπὸ πρὸς ἡρώου ὀνομασθὲν ἀκαδήμει.* Recitatis mox versiculis Eupolidis & Timonis, ejus indubiè quem *σπυλοφρον* appellant, addit: *πρὸς τὸν γὰρ λέγει τὴν ἑκαδημία σπυλοφρον.* Reversus Athenas in *Academia* commorabatur: ea vero est *gymnasium ac suburbium nemorosum à quodam Heroe Academio cognominatum: primò autem per ἑκαδημία appellabatur.* Quæ totidem ferme verbis referunt quoque & Suidas & Auctor Proverbiorum.

Præter vero locum istum universa Græcia nihil olim habuit *Academix* cognomento insigne, Cicero longè post

villam quandam suam Academiae nomine dignatus est, ut gymnasium in Tusculano Lycei. Hujus ipsemet meminit l. i. de Divinatione hisce verbis: *Nuper cum essem cum Quinto fratre in Tusculano, disputatum est. Nam cum ambulandi causa in Lyceum venissemus, id enim superiori gymnasio nomen est: Perlegi inquit ille tuum paulo ante tertium De natura Deorum. De illa illustris est Plinii locus l. xxxi. cap. ii. Digna memoratu villa est ab Averno lacu tendentibus, imposita littori, celebrata porticu ac nemore: quam & vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus ejusdem nominis: Academicarum nempe quaestionum. Hadrianus quoque Imperator partem villae suae Tiburtinae eodem modo nuncupavit, Spartianus id testatur in ejus vita, Tiburtinam, inquit, villam mirè exaedificavit; ita ut in ea provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum Academiam Prytaneum. Qui alius id imitatus sit nemo ex omni aëvo vetere memoratur.*

Sed & ipsamet illa nobilis Atheniensium Academia, videtur post Platonem non diu floruisse pristino cultu. De Sylla sanè qui bello Mithridatico obsedit & superavit Athenas, disertè scribit Plutarchus in ejus vita. *καὶ τὸ τῆς Ἀκαδημίας ἔκειρε δένδρα φορητὰ τῶν περὶ αὐτῶν ἔσαν καὶ τὸ Λυκείον. Et Academiam devastavit, inter suburbia arboribus frequentissimam, & Lyceum.* Fortassis vero id de nemore loci illius accipi potissimum debet: quia Appianus in Mithridatico ita duntaxat loquitur de Sylla: *ὄλην δὲ τῆς Ἀκαδημίας ἔκοπτε, καὶ μηχανὰς εἰργάζετο μεγίστας: Sylvas verò Academia excindebat & machinas inde faciebat maximas.* Nec tamen ab ingenio Syllae fuisset alienum, etiam quod reliquum fuit Academiae excindere, quoniam Piræum & Munichiam incendit, & urbe capta crudelissime saevit in cives: quod narrat  
idem

idem Plutarchus. Qui recte dixit ἄδεν ἐν τῷ Σύλλῃ Φιλάνθρω-  
πι ἄδὲ μέγιστον. Qualis autem adhuc suo aeo fuerit Aca-  
demiae facies, memoravit Pausanias: fortè quod eam ut  
alia Hadrianus Imperator, qua erat in urbem illam bene-  
volentiam, tunc restaurasset. Inde sane discimus, etiam  
tunc fuisse ibi gymnasium, in cuius introitu septum quod-  
dam Dianae, optimaque ac pulcherrima simulachra, tem-  
plum item non magnum, ac varia sepulchra: in primo A-  
cademiae aditu aram Amoris, intus autem aram Prome-  
thei Musarum Mercurii Minervae & Herculis. Quem  
Pausaniae locum egregie illustravit nonnullis etiam addi-  
tis Meursius: qua parte de Ceramico suburbano agit, cu-  
jus pars nobilis fuit Academia. Non nisi pars tamen,  
etsi Hesychius & Stephanus is qui de urbibus scripsit ita  
loquuti sint, quasi Ceramici & Academiae voces idem  
significent.

Cum primis verò expendi meretur, à Pausania nul-  
lam factam mentionem Scholae Philosophicae in Aca-  
demia tunc superstitis. Indicio sane illud mihi est satis  
certo, isthac tempestate desisse scholam illam nobilem  
à Platone institutam illic loci celebrari. Horatius l. 2.  
epistola 2 quidem ait:

*Adjecere bonae paulò plus artis Athenae:*

*Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,*

*Atq; inter sylvas Academiae quarere verum.*

Verum poëtica hoc dictum forte fuit elegantia, de schola  
Academica intra muros jam tunc recepta. Et vero vi-  
dentur loca scholarum Platonicae Peripateticae & Stoicae  
Philosophiae, aut ipsas potius scholas, quae in mediis Athe-  
nis aliquot etiam post seculis fuerunt agitatae, Academiae  
Lycei & Porticus nominibus fuisse celebratas. Hoc sane  
spectas-

spectasse videtur Synesius *epistola 54*: ubi ita illos qui Athenis redierant perstringit: *Versantur inter nos quemadmodum semides inter mulos, eò quod conspexerint Academiam & Lyceum & variam illam Porticum, quæ jam non est varia nam Proconsul tabulas abstulit: nisi malis locutum Synesium, de locis qui olim Academiae & Lycei nominibus extra urbem audierunt.* Enimverò in universum olim omnis schola Platonis successorum Academia dicta est, & qui eam doctrinam amplexabantur Academici: qui cum sententiis dissenserint nata hinc nomina Academiae veteris mediae & novae. A quibus cum plurimum alii abirent circa seculi Christiani secundi & tertii confinia, extinctum sensim est ipsum Academicorum nomen, & invaluit Platoniorum appellatio. Vnde S. Augustinus *l. 8. de civitate Dei cap. 12.* ita rectè scribit: *Recentiores Philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt dici Peripatetici aut Academici sed Platonici.* Ex quibus sunt valde nobilitati Græci, Plotinus Iamblichus Porphyrius. Nec verò audiendus Marsilius Ficinus, aut Jacobus Mazonius, qui & hanc Platoniorum scholam *Academiam* appellant, sive sextam ut Mazonius, sive peregrinam ut Ficinus, hanc Peregrinam iterum trifariam dividens in Ægyptiacam Ammonii Sacæ, Romanam Plotini, & Lyciam Procli: carent sane hæ narrationes omni idoneo veteris ævi testimonio.

Cæterùm à Synesii præter propter ætate, certe à temporibus Justiniani Imperatoris, in universo terrarum orbe, per mille amplius annos, nulla schola, nullus scholæ locus, *Academia* nomen accepit. Primò omnium in Italia Romæ videtur illa vox reducta in usum Paulo secundo Pontifice: idque non, ut olim, de speci scholæ Philosophicæ, aut schola ipsa, sed de collegio aliquo isthoc  
tempo.

tempore Romæ commorantium & priscae doctrinæ col-  
 lapsæ restitutionem aliquam instituentium. Tum sane  
 jam denuo illud nomen cœpisse, liquidò apparet ex iis  
 quæ Bartholomæus Platina narrat in vita illius Pauli.  
 Narrans enim, quænam contigerint sibi & aliis quibus-  
 dam literatis in carcere, Papa isthoc jubente & præsentè,  
 scribit in hæc verba: *Fit autem interdicens de Academia*  
*mentio Inclamat tunc M. Barbis Sancti Marci Cardinalis, nos*  
*non Academicos esse sed sædatores Academiae. Quid tur-*  
*pitudo autem à nobis in Academiis prodierit, certe non video:*  
*cum nec fares, nec latrones, nec incendiarii, nec decoctores esse-*  
*mus. Veteres Academicos sequebamur, Novos contemnes, qui*  
*in rebus nil certi ponebant. Paulus tamen hæreticos eos pronun-*  
*ciavit, qui nomen Academiae, vel serio vel joco deinceps comme-*  
*morent. Iusta est hæc ignominia Platoni: ipse se tueatur.*  
 Qui Paulum secuti sunt Pontifices rectius sapuerunt;  
 eoque deinceps in Italia passim id genus Academiae insti-  
 tuta, & nunc etiam in frequente sunt usu: Philolo-  
 gicis tamen potius quam Philosophicis exercitiis occu-  
 pata. Et verò hodieq; celebris est fama Academiae, Romæ  
 quidem Humoristarum, Senis Inthronatorum, Florentiæ  
 Furfurariorum, in urbe Picena Auvicatorum, Ferrariæ  
 Intrepidorum, Bononiæ Noctis, aliarum alibi, suis seor-  
 sim, etiam ridiculis, cognomentis & symbolis insignita-  
 rum. Etiam Lynceorum Academia Physicis & Mathemati-  
 cis excolendis Neapoli consecrata in magnâ fuit expecta-  
 tione, sed cum suo parente Friderico Casio Duce mox inte-  
 riit. Serpente exemplo etiam trans Alpes, non nusquam  
 nihil ad rem literariam facientibus, imo improbis etiam  
 quibusdam rebus, Academiae cognomentum est profa-  
 natum. Enimverò Parisiis anno seculi hujus nono non  
 Cc. puduit



pudivit nonnullos Academiam instituere ludorum aleæ & chartarum, quæ tamen altero post anno Regio edicto severe, ceu par erat, damnata est. Ibidem utilis quidem, Academia tamen cognomento neutiquam digna, equitandi saltandique schola coepit Pluvinello auctore.

Longe majore jure Academiae nomen scholis illis inditum est, quæ aliàs vulgo aliquot jam seculis audierunt Universitates Studia & Gymnasia generalia. Primum videtur hoc coepisse in Germania nostra, & quidem superiore demum seculo, nec ullo decreto publico, sed solo doctorum quorundam virorum, veterem Græcorum doctrinam admirantium, instituto. Hinc ne hodie quidem vel apud nos in promiscuo vulgi usu vocis *Academiae* est isthæc significatio: tantum abest ut alibi obtineat. Receptissima est vox *Universitatis* aut *Studii generalis* vel *universalis*: etsi nec id satis constet quæ Universitatis vox huc tracta sit. Sed & *Gymnasium* primo sui usu palæstram luctatoriam denotat: quoniam tamen primæ Philosophicæ Scholæ in Gymnasiis Atticis caperunt, non defuit sensim iusta occasio ad Scholas illas majorum artium & scientiarum vocem illam flectendi. Unde jam Cicero l. 2. de Oratore dixit. *Seculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his Philosophi garrere ceperunt, & hoc ipso tempore cum omnia gymnasia Philosophi teneant.* &c. Idem l. 1. de Oratore eodem sensu voce illa usus. *Clamabunt credo omnia gymnasia atq; omnes Philosophorum schola, sua esse hac omnia propria.* In Symmachi epistolis ut & apud Salvianum alibique, disertè memorantur gymnasia literarum. Imo passim locorum per universum Imperium Romanum, deficientibus sensim gymnasticis exercitiis, tandem vox *gymnasti* nihil nisi scholam altioris cujusque doctrinæ denotavit.

Quar-

Quandoquidem verò recepti nunc usus est, literatorum saltim consuetudine, ut Academiæ nomine, Scholæ illæ quæ Universitates aliàs audiunt usurpentur, etiam nos volumus illum nunc observare: confisi, neminem temerè id improbatum. Valent scilicet vocabula ut nummi: utque recte ait Horatius de populo,

*Hunc penes arbitrium est & vis & norma loquendi.*

Ideoque nec ipsa *Schola* vox unquam à nobis usurpabitur in ea significatione, quâ jam seculo Christiano quarto Palatina quædam officia audierunt Scholæ agentium in rebus, scholæ protectorum, scholæ silentiariorum, & septem aut octo præter hæc alia, quibus tum præfuit Magister officiorum dictus. Nec item vox illa nobis significabit solas Rhetorum scholas. Quæ tamen significatio videtur jam inolevisse sub finem seculi Christiani primi. Constat sane ex Taciti de Oratoribus libro, sive ille fortasse fuerit Quintiliani aut alterius ejus ævi, *Scholasticos* tunc appellatos qui declamationes instituebant de causis fictis. Ex præfatione item Controversiarum Senecæ, *Scholasticam Controversiam* & Declamationem idem tunc valuisse. Codex tamen Theodosianus pariter & Justinianus *Scholastici* nomine ipsarummet causarum forensium patronum sive advocatum solent designare: quin hoc significato duo præstantes historici Agathias & Euagrius tunc Scholastici audierunt. Eodem ævo diuq; pòst, *Sermo Scholasticus* dictus est qui Oratorum in modum est expolitus. Et si *Scholares* tunc dicti qui nunc Studiosi appellantur. Longe pòst Parisiis accepta vox *Scholasticorum* pro Theologis subtilioribus. Quantumvis enim hæc significationes olim quidem in usu fuerint, quoniam tamen hodie obsoleverunt, observabimus temporis nostri consuetudinem.

## SUPPLEMENTVM II.

Ad pag. III.

**N**ON attigi scholas Antediluvianus, idque studio & de industria. Equidem haud dubito, ne tum quidem defuisse scientiarum & liberalium quarumvis artium scholas. Quum enim maxime tum fuerit longæva hominum vita, nec illi indubiè ab ingenio fuerint destituti brutorum in morem animantium, non potuerunt non diuturnum suum otium scientiis atque artibus excolendis, saltem eorum quam multi, impendere, ab ipso naturali sciendi desiderio stimulati. Rectè scilicet Aristoteles: πάντες ἀνθρώποι εἰδέναι ὀρέγονται φύσιν. Quid! quod nondum assueta isthæc ætas compluribus vitæ haud necessariis instrumentis, omnigenæ Philosophiæ indagandæ excolendæque, potuerit utique haud segniter vacare, imò longævitas atque adeo & sanitatis integræ beneficio plurimum proficere. Indubie ergo & alter alterum docuit, ac proinde scholæ discipulorum ac docentium sunt habitæ.

Quod si illud quod *Genes. IV. v. 26* scribitur de Enos Sethi filii ætate: *Tunc incepit nomen Domini invocari*, accipias, quasi tum veri Dei cultus solito major cæperit: dixeris cum viris quibusdam magnis, tunc cæpisse celebrari scholas recti divini cultus. Sed cum Enos natus demum sit anno mundi 235, mihi quidem non est verisimile, neglectas tanto temporis spacio necessarias ejusmodi pietatis scholas, aut tunc demum cultum Dei creatoris solito ferventiùs incepisse. Ideoque verisimilior videtur Hebræorum interpretatio, quam producam Nicolai Lyrani verbis: *Littera Hebraica sic habet: Tunc incepit nomen Domini invocari (vacat) quod exponunt Hebræi de idololatriæ:*

latria: quia, ut dicunt, tunc inceperunt homines attribuere nomen Domini creaturis, ut soli, lunæ & idolis. Non tamen ab isto Enos qui justus fuit & devotus, sed à filiis Cain sibi contemporaneis. Sicut supra dictum est de Iabal & Iubal. Dixerat autem Lyranus supra: De Iabal fratre suo ex patre dicunt Hebræi quod fecit tentoria adponendum idola. Et de Iubal dicunt, quod canebat instrumentis Musicis coram idolis ea venerando. Huic expositioni docte, ut solet, opposuit quidem nonnulla Paulus Burgensis: sed Dörincius ea non minore auidine rejecit. Et verò, quibus exordiis creverit iniquitas hominum illius ævi, videtur isthoc Genesios capite potissimum significari.

Josephus *11 Αρχαιολογίας cap. 3* de Setho ejusque posteritate verba faciens, hæc memoriæ reliquit, qualia Latine vertit Sigismundus Gelenius. *Hic à patre educatus, ut eò ætatis venit, ut jam quod rectum est discernere valeret, virtutis studiis se totum dedit. Et cum ipse vir optimus evassisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit. Qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam absq; seditione incolabant, in perpetua felicitate vitam exegerunt: & sideralem scientiam ac cælestium rerum cognitionem excogitaverunt. Ne autem inventa sua ex hominum notitia elaberentur, & prius perirent quàm pernoscerentur, scientes Adamum universalem rerum interitum præcecuisse, unum incendio, diluvio alterum; excitatis duabus columnis, utriq; sua inventa inscripserunt. Ut si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ continebat spectanda exhiberet. Ajunt enim lapideam illam ab ipsis dedicatam, quæ & nostris temporibus extat in terra Syria. Hæc cuncta Josephus, & solus quidem ex omni veteri ævo. Quoniam verò nullum aliud vetus hujus rei extat testimonium,*

facile liquet, neutiquam ferenda esse quæ hac de re longe aliter narraverunt Petrus Comestor, Philippus Bergomensis, Naucerus & alii: quasi nempe columnæ fuerint à Cainitis excitatæ, & quidem à Jubale & Thubalciano, iisque inscripta fuerint musicæ & artis ferrariæ inventa. Quin imo ne Josepho quidem secure credi potest, quoniam omne hoc hausit ex fabulis sui ævi: infidis sanè rerum testimoniis. Nec tamen vero est ab simile, siderum contemplationibus Sethidas, ut homines probos & quietè degentes in altissimo otio ac vita longissima, vacuum tempus nonnunquam dedisse. Quapropter indubiè & in scholis suis hanc sideralem scientiam tradiderunt. Quæ de observationibus sideralibus utriusque columnæ inscriptis narrat Josephus, vix tamen merentur fidem. Aut enim inscriptæ literæ legi & intelligi Josephi ætate potuerunt, aut non. Si potuerunt, utique aliquis scriptorum observationes illas memorasset, memoravit autem nemo. Sin verò, qui Josephus noverit inscriptionum istarum argumentum? Quia post diluvium autem Ægyptii sui ingenii reperta columnis incisa ad posteros transmiserunt, quod cum alii tum Jamblichus *l. de mysteriis Ægypti. sect. 2. cap. 2.* & Proclus *l. 1. in Timæum pag 31.* testantur: quia item teste Plinio *l. 7. cap. 56* Epigenes docuit, apud Babylonios *DCCXX annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas*, imo aliquem similem laterculum ex ruderibus Babylonis allatum nactus est Perescius, ut in vita illius scribit Gassendus (Septentrionalia saxa inscripta nunc non moramur, utpote quæ nihil habeant bonæ doctrinæ) neutiquam negaverim, tale quid etiam ante diluvium fuisse institutum. Sunt tamen omnia etiam hæc incerta, eoque nihil nos juvant ad id, ut de scholis antediluvianis aliquid indubitati affirmemus.

Possit

Possit videri facere huc nonnihil quod de Henocho fertur, ejusque non sacra duntaxat sed etiam rerum naturalium scientia. Et verò etiam in Muhamedis Alcorano celebratus ille est Idris cognomento. Quod vocabulum Hottingerus interpretatur *disputatorem & rerum arcanarum inventorem*. Idem vero ille Hottingerus Beidavium Alcorani commentatorem scribit tradere, appellatum Henoch Idris *propter multiplex ejus studium: quia scilicet altissimus dimiserit super eum triginta volumina: item quòd ipse primus quid scripserit calamo: & quòd consideraverit scientiam siderum & nubium*. Simile quid prodit etiam ex Georgio Elmacino vir in iis literis quondam admirandæ peritiæ Hottingerus. Quoniam vero hoc omne nititur duntaxat Alcorani & Sarracenorum, longè post diluvium, longissime post Henochi ætatem, natis testimoniis, etiam aliàs sublesta fidei, non quoq; illa Henochi encomia merentur aliquem assensum. Sed & quæ in Sacra Scriptura laudantur Henochi studia, quod nempe *cum Deo vixerit*, fortassis non sunt passa rerum aliarum quamvis naturalium curiosam & molestam investigationem. In eandem porrò Arabum sententiam narrat quædam de Henocho Gregorius etiam Abul-Pharai: sed itidem, ut ipse agnoscit, incertæ fidei.

Quod si credimus illius, qui olim celebri fuit fama Henochici libri, titulo *Ἀποκάλυψις τοῦ Ἐνώχ*, iis fragmentis, quæ ex Georgii Syncelli historico opere hætenus manuscripto edidit Josephus Scaliger ad Eusebii Chronicon: angeli illi qui feruntur sæminis sese impiè miscuisse, varias, magicas cum primis, artes vitæ cum molliùs tum improbè degendæ commodas, homines docuerunt. Et verò non est quod dubitemus, fragmenta illa esse partes ejus libri

Enochi

Enocho attributi, quo usus fuit quondam Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Celsus apud Origen. l. v. Tertullianus, & Hilarius: imo & ejus, ex quo nonnulla adducit ipsemet Apostolus Juda, qui que à Judæis citatur in Zohar. Quin imò & Zosimus Panapolita, antiquissimus hodie Chemiæ scriptorum, hunc adeo librum videtur *Sacra Scriptura* nomine nuncupasse, in eo fragmento quod idem Scaliger in doctissimis ad Eusebium notis produxit: etsi non nihil de suo addiderit, quo Chemiæ primordia redderet illustriora. Postremum jam tum demonstravimus *cap. 3. libri primi Hermeticorum*. Reliqua ostendere alterius fortè fuerit instituti. Nunc unum duntaxat adferemus Clementis Alexandrini in Eclogis ἐκ τῶν θεοφρητικῶν Theodori; quia etiam ibi fit mentio artium quarundam ab Angelis traditarum. ἤδη δὲ, καὶ Ἐνώχ φησὶν, τὰς ὑπερβάντας ἀγγέλους διδάξαι τὰς ἀνθρώπους ἀστρονομίαν καὶ μαθητικὴν καὶ τὰς ἄλλας τέχνας. Alterum item Tertulliani ejusdem notæ, ex libro ejus *De habitu mulierum*. Ubi ita loquitur: *Nam & illi qui ea constituerunt damnati in pœnam mortis deputantur. Illi scilicet angeli qui ad filias hominum de cælo ruerunt, ut hæc quoque ignominia famina accedat. Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes non bene revelatas, seculo multo magis imperito prodidissent ( siquidem & metallorum opera nudaverant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgaverant, & omnem curiositatem usque ad stellarum interpretationem designaverant ) proprie & quasi peculiariter fœminis illud instrumentum muliebri gloriæ contulerunt, lumina lapillorum quibus monilia variantur, & circulos ex auro quibus brachia artantur, & medicamenta ex fæco quibus lana colorantur, & illud ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. Quorum similia*  
 Enochi

cum dixisset *l. de cultu faminarum*, subjungit disertè: *ut referi Enoch*. Et verò hæc tantum non omnia etiamnum in iis quæ dixi fragmentis legere est.

Non etiam, talia ab Angelis apostatis primò omnium homines accepisse, à similitudine veri quidquam fortè habet alieni. Enim vero necessarias humanæ vitæ artes nonnullas à bonis etiam Angelis in notitiã venisse hominum, equidè arbitror; eas scilicet quæ perquam operoso constant cultu: cujusmodi me judice est linteorũ conficiendorum ars, si incipias ab iplo lini semento. Nec verò est quare dubitemus, primà isthac mundi ætate majus & familiarius Spirituum omnis generis cum hominibus fuisse commercium quàm est hodie. Imò *puorum Dei* nomine, qui *Gen. 3* memorantur in fædos amores coiisse cum filiabus hominum, Angelos significari (quemadmodum acceperunt Josephus & quadamtenus Philo, Justinus, Tatianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Ambrosius, Sulpitius Severus, Augustinus alique veterum Ecclesiæ Patrum) haud adeò fortè absurdum est atq; hodie vulgò existimatur. Quæ certè huic interpretationi solent objici, doctè confutavit Paulus Burgensis contra Liranum, priscam sententiã ipsemet amplexus. Ne quidem generatio Gigantum ex illa commistione Angelorum hominumque à vero perinde absona cui forte videbitur, qui cum curâ expendere quæ cum aliis Marcus Antonius Delrius, vir doctus, et si ut immodicus suæ partis zelota sic diversæ cujuslibet iniquissimus insectator, disputavit *l. 2. Magicarum Disquisition. quælib. XV*. Ex quibus consequens est, etiam illa quæ in libro Enochii habentur de Angelis *ézenyôgis* eorumque facinoribus, neutiquam fortasse mereri popularem explosionem.

Obiter observasse hîc haud abs re fuerit aliquid, quod

Dd

pro



pro ea interpretatione quæ hodiè passim præ veteri obtinet, qua nempe *Filii Dei* creduntur esse Sethi progenies, habet Gregorius Abul-Pharaji, de Setho verba faciens hunc in modum. *Fertur illum primum scribendi auctorem fuisse, & progeniei suæ vitæ beatæ, quæ parentibus suis in Paradiso fuerat, desiderium ingessisse, adeo ut in montem Hermon secesserint, cultui Dei & pietati & continentia dediti, neutiquam ad mulieres accedentes, unde vocati sunt Bani Elohim i. e. Filii Dei.* Item paulo post. *Anno Saredis quadragesimo descendentes Filii Dei de monte Hermon, cum de reditu in Paradisum desiderarent, feminas concupiverunt: cumq; uxores illis dare recusarent propinquitate ipsis juncti, despectui illos habentes, Kainita eos ad matrimonia invitârunt, ultrò illis filias suas præbentes: quibus cum cum congressi essent pepererunt Gigantes qui bellis & incursionibus hostilibus præstarent. Et dicitur, filias Kain confecisse primum instrumenta Musica ad ea cantantes: ideog; vocari lingua Syriaca canticum Kinta per vocalem cesse, appellantq; Arabes puellam cantatricem Kainah cum Fatha litera Koph.* Hæc Gregorius sed nullo fide digno testimonio subnixâ.

Quicquid autem sit de Angelorum illa institutione censendum, siue fabulosa fuerit siue vera, ad nostrum de Scholis artium ac scientiarum institutum nihil aut parum facit. Certè fugit nos omnis illa scholæ ratio. Ea porrò tandem belluina fuit universi humani generis ante diluuium vita, (*Σκυθηνοὶ* appellant cum Epiphanius tum alii, sed cum injuria Scytharum, quia, ut rectè ait Justinus Trogi epitomator, *plus apud hos valuerunt boni mores quàm alibi bonæ leges*) ut indubie bonarum artium scientiarumque per omnem terrarum orbem cultura evanuerit inter homines feros & voluptatibus immerfos. Eapropter in Dissertationibus nostris de Scholis istis nihil esse dictum, nemo, arbi-

arbitror improbabat. Nec verò vel nunc habemus quod de iis adferri in medium queamus.

## SUPPLEMENTVM III.

Ad pag. III.

**A**Ntiquissimis, non multò post diluuium, temporibus, in Cananæorum populis, priusquam illi per Israëlitas excisi & terræ eorum fuerunt iusto Divino iudicio occupatæ, celebrem aliquam obtinuisse doctrinæ culturam, indicat nomen urbis *Kiriat Sepher*: hoc enim idem est atque si dicas *Urbem librariam aut librorum*. Enimvero jam pridem antea Urbem id nominis in celebri fuisse fama, indicat sacra Josuæ historia cap. xv. versic. 15. & 16. *Ascenditq; Chaleb inde ad habitatores Debir: cujus nomen antea fuit Kiriat Sepher. Dixitq; Chaleb: qui percusserit Kiriat Sepher & cepit eam, dabo ei Achsah filiam meam in uxorem.* Igitur isthac ætate superfuit vetus urbis vocabulum *Kiriat Sepher* & post mutavit in *Debir*. Viri docti nonnulli, interque eos ipse Hugo Grotius, existimant hanc esse urbem illam, quæ Xenophonti nuncupatur *Phœnicum gymnasium*. Verùm primo *γυμνάσιον* ætate Xenophontis non Scholam literariam significavit, sed locum exercitiis corporis destinatum. Deinde Xenophontis ævo non fuit ampliùs in usu appellatio prisca urbis illa *Kiriat Sepher* sed *Debir*, nec ulla ibi schola celebris fuit. Nihil proinde & de illâ Cananæorum schola potest dici: etsi indubie fuerit insigni olim fama, ut quæ toti urbi dederit à libris suam appellationem.

## SUPPLEMENTVM IV.

ad pag. eand.

**D**E ÆGYPTIORVM scholis statim p. 3. fecimus Dissertationis initium: idque meritò, quoniam hæ maxime olim celebres, & laudem ad postera etiam secula eximiam transmiserunt.

Dd 2

Quo.

Quoniam Aristoteles autem causam ejus, quare Ægyptii præ aliis cæperint excolere Philosophiam, prudenter significavit, & nos isthuc jam tum respeximus: haud abs re fuerit, ipsamet Aristoteli verba, Latine tamen versa, in medium adferre, à paucioribus aliàs legi fortè solita. *Omnibus jam hujuscemodi (artibus scilicet rerum vitæ necessariarum) comparatis, ea scientia reperta sunt, quæ nec ad voluptatem nec ad usus necessarios conducunt, ac primum iis in locis ubi homines otioabantur. Hinc Mathematicæ artes in Ægypto primum instituta sunt; ibi enim concessum est Sacerdotibus otio frui.*

Porro quod liberis quoque Sacerdotum abunde ex publico fuerit consultum, & quod solis iis tradita fuerit doctrina quævis sublimior, id obfuisse potiùs quam profuisse scientiarum culturæ, ostensum à nobis jam tum est *l. I. de Hermet. Medicina cap. 15.* Quo libro integro prolixè persecuti sumus quæ ad Ægyptiorum studia sapientiæ attinent, atque adeo etiam illa omnia quæ hîc non nisi levi attigimus digito: eoque non est, cur hîc ejus quid nunc addamus. Nec verò eorum quidquam est cujus pæniteat attulisse.

Unum tamen obiter hîc fatemur: illam de libris Chemicis Ægyptiorum per Diocletianum Imperatorem combustis fabulam, quam solius Suidæ relationi adscripsimus *l. I. c. 3. pag. 26,* postinventam à nobis esse etiam inter illa Excerpta Operis Constantini Porphyrogeneti, quæ Peiresciano ære redempta vulgavit & vertit doctissimus Henricus Valesius, descripta *pag. 835* ex Joanne Antiocheno: quem fuisse Monachum Phoca Imperatore juniorem, haud obscure liquet ex *pag. 35* ejusdem Peiresciani voluminis. Vnde Joannes ille mutuatus eam sit fabulam, aut num ipsemet finxit,

finxerit, haud equidem dixerō. Notat enim quidem Vale-  
sius pag. 215: Joannem Antiochenum sua pluraq; ex Entro-  
pio Græcè à Conone Lycio verso descripsisse: & sanè non-  
nulla quæ de Diocletiano refert habentur etiam in Eu-  
tropio: quia hæc fabula autem non reperitur in Eutropia-  
nis codicibus, indubie alium illa auctorem habet. Sui-  
dam vero ab Antiocheno isthoc Monacho Joanne illam  
accepisse, verisimile est. Etenim multa eum transcripsisse  
ex Porphyrogeniti Eclogis jam pridem observavit Ful-  
vius Ursinus, probavitq; H. Valesius. Sed & summus in hisce  
literis Claudius Salmasius in *Solinianis* pag. 1077 notat: Sui-  
dam Chemicam alteram istam famolam aurei velleris in-  
terpretationem desumpsisse ex Joannis Antiochenis libro  
*περί δεχαιολογίας*, qui indubie est illius Monachi Joan-  
nis Antiocheni. Quin imò videtur, Monachum illum  
esse eundem qui Suidæ voce εἶπον audit Ἰωάννης ὁ χημικός: at-  
que adeo hunc esse illum Characem, non autem alterum id  
nominis Pergamenum, ex quo illud Chemicum de aureo  
vellere commentum ad Dionysii Afri *περί ἡρώων* memorasse  
Eustathium, diximus p. 27. *Hermeticorum*: illum verò Cha-  
racem, cujus testimoniis usum Justiniano jam Imperatore  
Hermolaum Byzantium ibidem notavimus, vetustio-  
rem esse Pergamenum. Quæ heic memorare, alienius qui-  
dem non nihil est ab hoc instituto: fortassis tamen mere-  
tur excusationem, ob ingenuam erroris confessionem e-  
mendationemque.

## SUPPLEMENTVM V.

Ad pag. vi.

DE Scholis veterum CHALDÆORVM præter ea quæ  
laudatis à me locis habent Diodorus & Strabo, vix  
quidquam memoratu dignum occurrit. Nam & illa quæ in

Dd 3

facro

facro Danielis libro habentur perquam sunt tenuia. De illorum doctrina agere non est hujus instituti: & fortassis singulari libello id à nobis tractabitur, qui jam pridem est affectus. Par est ratio Persicarum atque Indicarum Scholarum veterum, & earum cum aliâ tum Magica sapientiâ. Etiam enim illa cura alterius erit fortasse temporis.

Interea haud absque pretio operæ fuerit, quod INDICA quidem attinet, cum cura legisse, quem de gentibus Indiæ & Brachmanibus librum Græcè olim conscripsit Palladius, atque ex Bibliotheca Regia erutum cis aliquot annos publicavit & vertit Latine eximia vir doctrinæ Edoardus Bassæus. Quî cum omnino merentur conferri, quæ de rebus nostri ævi Braminum, qui priscorum Brachmanum sunt posterî, rarâ industria Hollandicè conscripsit Abrahamus Rogerius, & doctissimo commentario ejusdem linguæ illustrata Leidæ prodierunt in lucem anno seculi hujus quinquagesimo primo. Etsi enim accepta sint tantum ab ijs qui ad Coromandal habitant, reapse tamen sunt & reliquis Braminibus communia.

SINENSIVM remotissimi Asiæ populi, Scholæ videntur recentiore multum instituto cæpisse: post libertatē scilicet olim Tataris ejectis recuperatam, & quidē potissimo magistro illo quem Confuso appellant. Hinc fortē Scholæ & instituta Mandarinorum quos vocant multa habent similia Europæis illis, quæ à seculo demū Christiano decimo tertio invaluerūt. Quia autē de iis complura à variis auctoribus nostrâ patrumq; memoria præclarè sunt prodita, atq; itâ tantū non in vulgus jam innotuerunt, abs re fuerit eorum quidquam heic repetere. Hanc autem meam de Sinensibus conjecturam validè videtur confirmare Gregorii Abul-Pharaji Medici & Historici Arabici doctissimi testimonium.

monium. Vixit enim ille in Asia, anno Christiano post millesimum ducentesimo quarto octogesimo, quo tempore Sinas sive Cathajam, ut reliqua Asiæ, Mogulenses Tatarum imperio suo tenebant; eoque res etiam Sinensium satis habuit exploratas. Is vero pag. 2 cum dixisset, antiquitus septem præcipuas fuisse gentes, Persas, Chaldæos, Græcos, Ægyptios, Turcas, Indos, Sinenses, earumque aliis fuisse curæ studia Sapientiæ aliis non; postremis annumerans Sinenses, de iis ita loquitur. *Quod ad Sinenses, hi gentes alias numeri frequentia, imperii magnitudine, & amplitudine regionam excedunt. Cingunt territoria ipsorum, qua longissime ad Orientem protenditur terra habitabilis, quicquid est inter Lineam æquinoctialem ad ultimum septem climatum septentrionem versus. Ea scientia portio qua ceteras gentes superarunt est artium mechanicarum peritia, & in pingendi arte præstantia.* De Indis autem longe aliter idem Gregorius judicat. *Illis Deus, inquiens, multis eorum qui colore fusco vel candido gaudent præcellere dedit: suntque fodina sapientia & fons justitiæ, nisi quod mundi æternitatem adstruans, & irritas habeant Prophecias, & pro illicito ducant animalia mactare, eademque dolore affici prohibeant.* Quibus verbis Brachmanes Indorum laudari manifestum est.

Quoniam porrò in sacra Salomonis historia 1. Reg. IV. 30 hujus sapientia contenditur cum ORIENTALIBVS, indubie etiam hisce fuerunt quondam magnarum scientiarum atque artium scholæ. Verùm ne id quidem satis constat, quinam populi illo *Orientalium* nomine tunc fuerint usurpati: multis id ad Chaldæos trahentibus. De Chaldæis tamen sic locutus est Jeremias cap. I. 14: *Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Eodem modo & alibi passim loquitur. Chaldæi proinde neutiquam

quam sunt illi doctrina Salomonis ætate celebres Orientales. Ne nunc dicam, Nabonassar demum Rege, atque ita multo post, videri capisse majorem solito in Chaldæis doctrinæ cultum. Pineda in *Salomone suo*, opere perinsigni, etiam Tyrios intelligendos censet: at nec illi fuerunt Israelitarum terris ab Oriente, sed Occidente potius, Arabes fuisse qui existimant illis & meum calculum addo. Celebratam enim eorum sapientiam vetustissimis jam seculis, liquet ex Jobi historia: & longè post etiam Pythagoram adisse doctrinæ capessendæ causa Arabes, auctor est Porphyrius apud Cyrillum *l. X contra Julianum*. Non quivis tamen Arabes potuerunt *Orientalis* usurpari. Etenim Deserta Arabia, imo & illa pars unde Regina Sabæ venit, meridionalis fuit Israelitarum terris. Imò illa Deserta Arabia serò satis literaturâ aliquâ coepit excoli, & quidem post Mahumedem denique: bonâ ejus populorum parte ab retro omni ævo etiamnum Nomadicam vitam viventibus. Possit videri huc pertinere, quod quæ Mahumedem antecedit ætas, soleat ipsis Arabibus *tempus ignorantia* vocitari. Fortassis autem hoc fit respectu *Islamismi* sui, cujus primus autor fuit Mahumetus. In uniuersum tamen de Arabum, quæ Islamismum præcessit, eruditione, in *Historia Dynastiæ*, quam & Arabicè & versam Latine editamque debemus Edoardo Pocockio, ita pag. 101 disseruit Gregorius Abulpharai, scriptor Arabs sed Christianus. *Eruditio autem Arabum, cujus gloria præcipue studiosi erant, hæc erat: lingua sua peritita, sermonis proprietates, carminum textura & orationum compositio. Notè etiam illis erant stellarum ortus & occasus, item quanam ex illis ita opposita sint ut oriente hæc illa occidat, quamq; in pluvii excitandis vim habeant: quantum quidem summa attentione &*

*diuturna*

diurna experientia assecuti erant (quod scilicet hanc rerum istarum cognitionem vita ratio illis necessariam faceret) non qua vera scientia acquiritur methodo. Verum quod ad Philosophia scientiam nihil ejus admodum concesserat illis Deus, nec eos ad haec studia idoneos fecerat. Atque hic status eorum erat per Ignorantia tempora. Hæc ille. Sed quoniam scriptor est recentior, fortassis illi tutò de iis rebus credi non potest. Fortassis etiam talis eorum duntaxat fuit Arabum ratio, quos inter Mahumedes natus est. Imò fortassis illo tempore denique Arabia sese habuit: perinde atque hodie plurimum diversa est Græcia ab antiquo cultu. Fatetur enim ipse Abul-Pharai, gloria eruditionis studiosos fuisse Arabes. Sed & jam olim Arabum Orientales habuisse magnum numerum eorum qui Magi dicti sint, non minùs atque Persas, liquet ex eo, quod Ptolomæus agnoscat in Arabia illa Orientali parte Magorum sinum, Magindanam item civitatem & urbem Magilunam. Epiphanius l. 3. contra hereses Abrahami ex Kethura liberos in eam partem Arabia cui Magodia nomen transiisse, refert. Hodieque pars Felicis Arabiae sive Jemin vocitatur Magin. Admodum sane falluntur, qui solos Persarum sapientes Magos credunt olim audiisse. Imò vocem Magus origine esse merè Arabicam, docent illius linguæ peritiores. Et verò qui aliis Kebri illi Arabibus Magiusti sunt usurpati. Ut proinde etiam illos Magos, qui omnium primi natum recentissimè Salvatorem nostrum venerati sunt, non equidem dubitem cum Patrum antiquissimis, & Grotio ac Vossio viris nostri ævi longè doctissimis, ex Arabia advenisse, profiteri.

Etsi autem vacat apud me omnidubio, olim & apud Arabes illos Orientales ut eruditionem ita & doctrinæ Scholas viguisse, non tamen vel de illa eorum doctrina,

Ee

qualis



qualis fuerit & quanta, certi quidquam novimus. Non dubito tamen, & illorum Magos, saltim nonnullos, perinde atq; Persarum, nefariis artibus (quas tamen ipsi tanquam vel Naturæ vel Diis suis debitas, haud iniquas existimaverunt, longe alieni ab impietate nostri ævi Magorum, dæmoniis, quorum malitia ipsis nota est, foederatorum) fuisse deditos: quoniam in universum omne illud nomen olim deniq; sectatoribus fuerit infame, & ipsosmet illos Salvatoris nostri primos adoratores ab eo crimine haud absolvant Origenes Ambrosius Chrysostomus Basilus & Patrum alii. Multò minus verò exploratum habemus de Scholis illorum. Ideoque ut Orientalum Arabum Scholas non attigimus in Dissertationibus, ita neque nunc de iis ullum nobis est ad manum supplementum.

Prius tamen quàm hunc locum deseramus, fortassis haud fuerit abs re, addere hoc loco nonnihil de ZABIIS sive SABIIS, quorum in Arabicorum aliorumque scriptis frequens fit mentio. Idque quandoquidem Zabiorum appellatio fortassis significat idem quod Orientales, fortassis etiam deflexa est à Sabæis Arabiæ felicis populis. Et verò Josephus Scaliger, princeps litteratorum, epistola ad Casaubonum *quæ est sexagesima libri Epistolarum primi*, scribit: *De Zabiis, scito esse Chaldeos Zabim. Dicti à vento Apeliote quasi dicas Orientales.* Quod utrum sit verum nec ne, haud definierim: etsi videantur Sabiorum dogmata Chaldaicis saltim affinia. Docent autem Arabum Judæorumq; scripta: Sabios fuisse quasi auctores, certe summos magistros, Idololatriæ & quidem siderum cœlestium religiosi cultus. Multa de iis refert Rabbinorum doctissimus Moses ben Maimon libro cui fecit titulum *More Nebuchim l. 3.* passim, cum primis *cap. 29.* Ubi affirmat, sibi ad manum esse libros ipsorum

ipforum antiquos, atque ex iis multa adfert in medium  
 varii generis. Fuisse autem eorum libros omnes non  
 perinde antiquos, alios verò etiam Syriacè conscriptos,  
 liquidum est ex iis quæ Gregorius Abul-Pharai narrat de  
 Thabet Eben Korra, illo inter Arabes maximi nominis  
 Astronomo, p. 148 editionis Pocockianæ quem ait fuisse  
 Sabium. Floruit autè Thabet sub finem noni seculi Christi-  
 ani. Recitabo eximii illius Historici quædam verba, prout  
 illa de Arabico à Pocockio Latinè sunt versa: quoniam con-  
 tinent aliàs ignota, & ob libri ipsius raritatem minus ob-  
 via. *Multa scripsit* (Thabet sive Thebit Eben Korra) *in*  
*disciplinis Mathematicis, Medicina, & Logica. Sunt & illi li-*  
*bri lingua Syriaca scripti, de iis quæ ad Sabiorum religionem*  
*spectant, de eorum constitutionibus præceptis & ritibus, de mor-*  
*tuis involvendis & sepeliendis, de munditie & immunditie,*  
*quanam animalia sacrificiis idonea quæ inepta, de temporibus*  
*cultui divino destinatis, de ordinanda lectione inter orandum.*  
 Illud autem quod apud nos constat de **SECTA SABIORVM**, est:  
 Professionem eorum eandem prorsus esse cum Chaldeorum anti-  
 quorum professione: Keblamq; ipsorum polum Arcticum. Quatuor  
 virtutibus intellectualibus illos diligenter studere. illis ut ter  
 orent injunctum esse: primò ante solis ortum, semihora aut minus,  
 quo oriente sole finiantur octo incurvationes, quarum singule tres  
 contineant adorationes; secundò ita ut finiatur oratio meridie  
 declinare incipiente sole, constatq; quinq; ingeniculationibus,  
 quarum unaquaq; tres contineat adorationes; tertio oratione si-  
 mili secunda, & finienda occidente sole. *Jejunia illis injuncta*  
*esse (jejunium) triginta dierum quorum primus est nonus Alcanui*  
*prioris; nec non septem dierum, quorum primus Strebari octavus.*  
*Stellas invocare. Multa offerre sacrificia, de quibus non come-*  
*dunt, sed penitus igni absumenda tradunt. A fabarum & allii*  
 Ee 2 esu ab-

esu abstinere, nonnullos etiam à phaseolis, brassicâ, crambe, & lentibus. Dicta eorum affinita sunt à dictis Philosophorum: argumenta eorum ad probandam Dei unitatem longè firmissima sunt. Autumant animas sceleratorum novies mille seculis cruciari, deinde ad misericordiam Dei redire. Tantùm quoque de Sapiis hac vice: sive in Arabia illi cœperint, sive veteribus Chaldæis sint annumerandi. Longè plura ex Orientalium scriptorum monumentis, qua solet inusitata industria & curiositate, eruta de Sapiis illis docuit Hottingerus. *l. 1. Hist. Orient. cap. 8, ut & Bibliotheca Orientalis cap. 2. classe 3. pag. 103.*

Et si verò indubie etiam illis Sapiis suæ fuerint Scholæ, nos tamen nihil habemus quod de iis doceamus.

## SUPPLEMENTVM VI.

Ad pag. 118.

**Q**uæ pag. 8 de Thalete aliisque Græcorum sapientibus vetustioribus diximus, non alio indigent testimonio quàm unius Diogenis Laërtii: quoniam quod ejus hac de re narrationibus relictetur nihil reperire est ex veteri ævo.

De Pythagoræ scholis quæ nos attulimus, referuntur post Livium in historiis etiam vitæ Pythagoræ, apud Laërtium, Malchum, sive ut nomen ejus Tyrium mutavit Dionysius Longinus Porphyrium, & Jamblichum, alibiq; Tametsi hætenus operis Jamblichi de vita & secta Pythagoræ in septem libros divisum, tantùm duo & quidem mendosi infelicitèq; versi, in lucem prodierint, duosque sequentes priores cum omnibus Jamblichi reliquis scriptis à sese expectari quidem jusserit Lucas Holstenius vir longè doctissimus sed nullo successu, quantum equidem sciam. Dignum memoratu hæc est, quod de Schola Pythagoræ notat ad Porphyrii

phyrii librum idem Holsteinus; illam propriè διδασκαλείον  
 appellatam, ut Platonis *Academiā* & Aristotelis *Lyceum* vel  
 ἡλείον, Epicuri *hortos*, Zenonis *porticum*. Vereor autem  
 ut possit firmis testimoniis probari: quoniam quod διδασκα-  
 λείον idem & ἀνεγαθήριον Porphyrio dicitur: nec apparet  
 ratio quare communis scholæ appellatio uni Pythagoricæ  
 facta fuerit propria.

De Coa & Cnidia scholis Medicis exstant varia di-  
 cta Galeni: an apud alios veterum alibi, non satis memi-  
 ni. Sophistarum instituta passim in vulgus pridem in-  
 notuerunt.

## SUPPLEMENTVM VII.

Ad pag. ix.

VT ea quæ de Scholis Atticis differuimus pag. 9 rectius  
 intelligantur, operæ fuerit pretium diligenter legisse,  
 non ea duntaxat, quæ jam tum laudauimus ex libro posthu-  
 mo de *Ceramico gemino*, dicta à vito de Atticis rebus optime  
 omnium merito Joanne Meurfio ad *Academiā* pertinen-  
 tia, sed etiam quæ idem magnâ industria congeffit in unum,  
 in *Athenis Atticis* de Porticu l. 1. cap. V. de Cynofarges l. 2.  
 c. 2. de Lyceo cap. 3.

De privilegiis porrò Scholarum Atticarum quæ dicta  
 ibidem sunt, illustrauimus jam tum in *Addendis* pag. 289: ut  
 nihil iis addere sit hodiè necessum.

Verum præterea esse quod itidem docuimus; nempe  
 Athenienses loca isthæc celebria non suppeditasse Philo-  
 sophis liberaliter, atq; in Scholæ usum aptasse: id præter  
 Hortum Epicuri, quem ab illo fuisse emprum ex Diogene  
 notauimus, haud obscure significant etiam illa quæ non-  
 nulli de ipsamet Platonis *Academia* commemorant. Plu-  
 tarchus l. de *Exilio* sanè ita scribit: *Academia* tribus millibus

Ee 3

drachmas

drachmarum emptus agellus, Platonis habitaculum erat. Isidorus Origin. l. IIX. cap. 6. in eandem sententiam: *Academici appellati à Platonis villa, Academia Athenarum, ubi idem Plato docebat.* Docuit ergo Plato in parte Academiae sibi propria, & suo aere comparato. Et vero pridem ante Isidorum etiam Hieronymus l. 2. advers. Jovinianum appellavit locum illum ubi Plato docuit *villa* nomine. Suidæ si credimus docuit Plato in villæ suæ paupere aliquo horto. Verba enim ejus Latine versa ita sese habent. *Plato Philosophus pauper erat, & solum possedit in Academia hortum, qui fuit minima pars illius successorum. Nam hic quidem hortus aureos fere tres reddebat, postea verò mille & plures. Auctus autem redditus fuit temporibus posterioribus, cum homines sancti & Philosophi, aliàs alii, morientes testamento relinquerent Philosophiæ studia tractantibus facultates, ad vitæ Philosophicæ otium ac tranquillitatem.* Hæc omnia Suidas. Quorum priora satis utique indicant id quod diximus, locum Scholæ Platonice non publicum fuisse sed privatae possessionis: posteriora autem, eundem locum etiam postea mansisse proprium Platonis successoribus sed auctum liberalitate variorum. Et verò etiam Procli Lycii ætate superfuisse Athenis aliquid *hereditatis Platonice* dictum cognomento, jam tum pag. 19. Dissertationum ex Marino Neapolitano annotavimus. Quandoquidem autem ne Platoni quidem, civi Attico primariae nobilitatis, concessus est in scholæ usum locus publicus, per est verisimile, Athenienses non fuisse liberaliores erga Aristotelem, Cynicos, & Stoicos.

De eo autem excidio Lycei & Cynosargis, à Philippo Demetrii filio patrato, quod pag. 10 laudavimus Livii testimonium, meretur hic quoque suis disertis verbis legi. *Intra muros deinde tenentibus milites Atheniensibus, Philippus, signo recepti*

receptui dato, castra ad Cynosarges (templum Herculis, gymnasium, & lucus erat circumjectus) posuit. Sed Cynosarges & Lyceum, & quicquid sancti amentiq; circa Urbem erat incensum est: dirutaq; non tecta solum sed etiam sepulchra: nec divini humane juris quicquam pra impotenti ira est servatum. Verba Plutarchi de sylvis Academiae & Lycei destructis jam adduximus Supplemento I.

## SUPPLEMENTVM IIX.

Ad pag. x.

**D**ubitavimus pag. 10 de Massilia, utrum ibi sumptu aliquo publico nutriti fuerint literarum doctores. Quae tamen l. 10 de urbe isthac differit Strabo, exuerunt jam post attentam lectionem illam dubitationem. Cum enim Strabo laudasset Massiliam, quod fuerit Gallis vicinis παιδαγωγία, quodq; nobilissimi etiam Romanorum studio discendi praetulerint Massiliensem peregrinationem Atheniensi, adjicit: Gallos in pace jam viventes Massiliensium exemplo otium illi vitae instituto impendere non singulatim duntaxat sed etiam publice: σοφιστὰς γὰρ ἑποδέχονται τὰς ἰδίαι τὰς δὲ αἰ πόλεις κοινῆ μαθήματα καὶ ἰατροὺς. Si urbes autem Galliae Massiliensium imitatione Sophistas hoc est eloquentiae Professores sumptu publico conduxerunt, indubie factum idem fuit ab ipsa Massiliensium civitate.

## SUPPLEMENTVM IX.

Ad pag. xi.

**P**tolemæi Reges tantum non omnes optimè sunt de eruditionis propagatione meriti. Eorum septimus tamen, Evergetes secundus dictus, maleficio potius profuit quam benignitate. De illo Athenæus l. 4. cap. ult. in Diapnosophisticis ita refert. *Renovatae sunt omnes disciplinae sub septimo Aegypti rege, quem alii, praecipue Alexandrini, καλεγοῦν γέντω*

*ἄρτω* appellarunt. Hic enim multis Alexandrinis jugularis, nec paucis qui cum fratre ejus adoleverant in exilium actis, urbes ac insulas replevit Grammaticis, Philosophis, Geometris, Musicis, Pictoribus, Puerorum magistris, Medicis, & aliis multis artificibus; qui ob inopiam ea docentes quae sciebant, omni humanitate praeclares viros expoliverunt. Ceterum de Bibliothecâ Alexandrinâ multa à nobis sunt dicta, etiam illâ Epistolâ quam de Bibliotheca Augusta edidimus ad Boineburgium. De cujus magni viri insperato & Germaniæ rebus infasto atque interpestivo obitu, adveniens hoc ipso momento fama animum hæudleviter percellit & in luctum conjicit: idque non tam quod ego amiserim amicum summum, quàm quod laborans Germaniæ respublica orbata sit prudentiâ & rerum agendarum dexteritate maximo senatore. Quem animi dolorem non potui hîc dissimulare.

Memorat vero illam Bibliothecam & Vitruvius l. 7. c. 7. simulque instituta à Ptolomæo certamina eruditorum: Quoniam lepidam ille historiam narrat unius eorum ludorum, videtur ista etiam hoc loco repetenda. *Reges*, ait, *Attalici* magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem delectationem instituisent, tunc idem Ptolomæus infinito zelo cupiditatisq; incitatus studio, non minoribus industriis ad eundem modum contenderat Alexandria comparare. Cum autem summa diligentia perfecisset, non putavit id satis esse, nisi propagationibus in seminando curaret augendam. Itaque Musis & Apollini ludos dedicavit, & quemadmodum athletarum sic communium scriptorum victoribus præmia & honores constituit. His ita institutis, cum ludi adessent, iudices literati qui ea probarent erant legendi. Rex cum jam ex civitate sex lectos habuisset, nec tam cito septimum idoneum inveniret, retulit ad eos qui supra Bibliothecam fuerant,

fuerant, & quasi vis si quem novissent ad id expeditum. Tunc ei dixerunt, esse quendam Aristophanem, qui summo studio summaque diligentia quotidie omnes libros ex ordine perlegeret. Itaque in conventu ludorum cum secreta sedes essent iudicibus distributa, cum ceteris Aristophanes citatus quemadmodum fuerat ei locus designatus sedis. Primo Poëtarum ordine ad certationem inducto, cum recitarentur scripta, populus cunctus significando monebat iudices, quod probarent. Itaque cum ab singulis sententia sunt rogata, sex una dixerunt, & quem maxime animadverterunt multitudini placuisse et primum primum, insequenti secundum tribuerunt. Aristophanes vero cum ab eo sententia rogaretur, eum primum pronunciarum iussit qui minime populo placuisset. Cum autem Rex & universi vehementer indignarentur, surrexit, & rogando impetravit ut se paterentur dicere. Itaque silentio facto docuit, unum ex his eum esse poetam, ceteros aliena recitavisse: oportere autem iudicantes non furta sed scripta probare. Admirante populo, & Rege dubitante, fretus memoria de certis (forte exercitiis) armariis infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo coegit ipsos furatos de se confiteri. Itaque Rex iussit cum his agi furis condemnatosque cum ignominia dimisit, Aristophanem vero amplissimis muneribus ornavit, & supra Bibliothecam constituit. Hæc omnia Vitruvius.

De Museo præter illa Straboni dicta, ex Athenæo, Philostrato, Spartiano, Dione & aliis possent quidem nonnulla adjici, sed institutum haud patitur.

## SUPPLEMENTVM X.

Ad pag. xiv. & xv.

Quæ pag. 14 notavimus, de tolerato ab Atheniensibus sententiarum Philosophicarum à sacris suis receptis dissidio, non ita accipienda sunt, quasi ἀπλῶς eo ipso malè consuluerint reipublicæ suæ. Enimverò est quidem haud

Ff

paucis



paucis Politicorum persuasum, nihil ejusmodi ferendum in benè constituta republicâ: idque quoniam consulendum est paci ac tranquillitati civili, quæ diffidio isthoc corrumpitur. Pridem tamen à nobis victum est, & aliàs denudò firmitus constituetur, ἀξιώμα illud quorundam procul abesse à veritate; ad quietemque reipublicæ satis esse, si nemini permittatur cum turba sententias suas docere, & modò religionis naturâ notæ scita consent: nempe de unius Dei providentia humanarum etiam quarumvis rerum, deque animæ immortalitate, & poenis præmiisq; justo judicio divino à morte etiam accipiendis. Quoposito manifestum est, non debuisse ferri Epicuri Scholam, & si quæ alia impugnavit olim sive apertè sive clam illas quas diximus reipublicæ omnis conservandæ necessarias, ut ita dicam, *καὶ θεοῦ*. Vix etiam est, ut saltim in nonnullis debuissent tolerari Stoici; nimis scilicet crudè pro libertatis studio & de republica differentes. Nec verò cuiquam dominatui doctrina illorum temere fuit consentanea: eoque nomine malè inter Philosophos reliquos Stoici cum primis audierunt, cùm aliàs tùm Domitiano imperante, ac propterea pulsi sunt Urbe.

Quod porrò pag. 15 diximus, promiscuam illam liberam Philosophandi etiam de sacris rationem cum Christianâ demum doctrinâ Athenis desisse, accipiendum est de Christianismo jam plenè adulto. Neutiquam enim fuerunt Christiani, illi *πρεσβῆς* Suidæ dicti Philosophi, qui Justiniano Imperante quasi desperabundi in Persiam iiverunt ad regem Cosroem, voti tamen frustrati rediere: quos inter fuit & Simplicius celebris ille in schola Athenensi Aristotelis aliquot librorum commentator, vir quidem doctus sed Christianæ religionis amarulentus hostis.

SVP.

227

SUPPLEMENTVM XI.

Ad pag. xv. & xvi.

**N**otavimus pag. 15 à primo Antonino Pio Imperatore per omnes provincias esse constituta Professoribus salaria. Jam tum ante autem Professoribus (forte tamen solis Romanis) perquam benignum sese præbuerat Hadrianus. De illo enim cap. xvii Spartianus: *Quamvis esses in reprehendendis Musicis, Tragicis, Comicis, Grammaticis, Rhetoribus, Oratoribus facilis, tamen omnes Professores & honoravit & divites fecit, licet eos quæstionibus semper agitavit. Et doctores qui Professioni sua inhabiles videbantur ditatos honoratosq; à Professione dimisit.*

Cæterum de Saliariis Professorum monuit quidem nonnulla etiam P. Faber in *Agonistici l. 2. c. 20.* ut Pancirolus de *Annonis variar. lectio. l. 2. cap. 188.* Sed omne illud exigui est momenti.

Quoniam porrò pag. 16 facta est mentio restitutæ **CLIVENSIVM** Scholæ per Eumenium Rhetorem, obiter observari potest; testari Eumenium, avum suum Athenis natum in eadem olim Schola docuisse. Unde colligo, jam initio seculi Christiani tertii Scholam illam viguisse. Eumenium enim jussu Constantii Chlorig Scholam reparasse, liquidissimum est ex epistola Cæsaris orationi ab Eumenio insertâ.

SUPPLEMENTVM XII.

Ad pag. xvi.

**R**OMANA Schola publica, cujus mentio à nobis facta est pag. 16, præ aliis totius Occidentalis Imperii, indubie cum aliis de causis, tum quod ibi solum Juris Romani studia exerceri sint solita, maximè floruit. Diximus de illâ latius singulari libro, quo illustravimus leg. primam

Ef 2.

Cod. 15

Codicis Theodosianis de Studiis liberalibus Urbis Romæ & Constantinopolis. Sed & ejus facies sic satis clarè elucet ex ejusdem Tituli constitutione Theodori & Valentiani Augustorum, quæ in Theodosiano Codice est tertia in Justiniano unica. Discere vero est ex illa constitutione etiam hoc, Scholam illam publicam fuisse tum habitam in Capitolio: fortasse tamen non veteri sed novo Christianorum Imperatorum instituto, post sacra Capitolini Jovis antiquata. Lam pridus enim ita quidem de Alexandro Severo loquitur: *Ad Athenæum, audiendorum & Grecorum & Latinorum Rhetorum vel Poëtarum causa, frequenter processit.* Sed quinam Urbis locus tunc temporis *Athenæum* fuerit usurpatus, haud perinde est liquidum. Non enim tuto etiam credere licet Raphaeli Volaterrano qui *l. 12. Geograph.* tradit, institutum illud esse à Claudio Imperatore. Omnia autem illa multum sunt diversa ab antiquis moribus, quales illi fuerunt etiam seculo primo & secundo Christiano: longe diversissimi à consuetudine temporum quæ sacros Salvatoris nostri natales antecesserunt.

Meretur annotari, quod Augustinus *l. 5. sanctissimi Confessionum* operis, narrans Carthagine Romam sese concessisse privatâ operâ docendi Rhetoricen ergò, memorat de moribus Studiosorum utriusque loci. *Non ideo Romam pergere volui, ait, quod majores quasi majorque mihi dignitas ab amicis qui hoc suadebant promittebatur (quæquam & ista ducebant animum tunc meum) sed illa erat tunc causa maxima & pend sola: quod audiebam, quietius ibi studere adolescentes, & ordinariore disciplina coercitione sedari, ne in ejus scholam, quo magistro non utuntur, passim & proterve irruant, nec eos admitti omnino nisi ille permiserit. Contra apud Carthaginem fada est & intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter, &*  
*prope*

prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisq. discipulis ad proficiendum instituerit. Multa injuriosa faciunt, mira hebrudine & puniendâ legibus, nisi consuetudo patrono sit: hoc miseriores eos ostendens quo quasi iam liceat faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit, & impune se facere arbitratur, cum ipsa faciendâ cæcitate puniantur, & incomparabiliter puniuntur pejora quàm faciunt. Ergo quos mores cum studerem meos esse nolui, eos cum docerem cogebam perpeti alienos, & ideo placebat ire, ubi tali non fieri omnes qui naverant iudicabant. Hæc omnia sanctissimus Ecclesiæ pater. Eodem libro etiam hæc habet: Sedulo agere ceperam propter quod veneram, ut docerem Romæ artem Rhetoricam & prius domi congregarem aliquos, quibus & per quos innotescere ceperam: & ecce cognosco, alia Romæ fieri quæ non pariebar in Africa. Nam revera illas everfiones à perditis adolescentibus ibi non fieri, manifestatum est mihi. Sed subito inquirunt: Ne mercedem magistro reddant, conspirant multi adolescentes, & transferunt se ad alium, desertores fides, & quibus pro pecunia charitate justitia vilis est. Oderat etiam illos cor meum quamvis non perfecto odio. Etiam hæc ille. Everfionum autem ita nuncupatarum diabolicum institutum jam execratus fuerat lib. 4. Unde liquet, etiam tunc Scholas juvenilibus vitiis infectas, etsi non ubi vis iisdem.

## SUPPLEMENTVM XIII.

Ad pag. xvii.

**M**EDIOLANI, de cuius urbis Schola verbo aliquid Mattigi pag. 17. itidem unum duntaxat fuisse Ordinarium magistrum Rhetorices, eumque constitui solitum à Præfecto Urbis (indubie quod intra limites Urbicæ Præfecturæ tunc Mediolanum censeretur) præviâ tamen probatione aliquâ, docent ipsamet à me laudata S. Augustini verba. Itaq. posteaquam missum est à Mediolano Romam, ad

Sunt

Ff 3

Præfe-

*Præfectum Urbis, ut illi civitati Rhetoricæ magister provide-  
tur, in partita etiam euectione publica; ego ipse ambrosi per eos-  
dem ipsos Manichæis vanitatibus ebrios (quibus ut carerem ibam,  
sed utriq; nesciebamus) ut dictione proposita me probatum  
Præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Am-  
brosum Episcopum. Hactenus Augustinus.*

De CARTHAGINE ejusque studiis haud abs re fue-  
rit addere Salviani item, Massiliensis presbyteri, patriâ au-  
tem quantum videtur Agrippinensis, facundia & sancti-  
tate perquam eximii eju dem pene tempestatis scriptoris  
ex libro septimo de Gubernatione Dei verba aurea. *Illic omnia  
officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scho-  
la, illic Philosophorum officina, cuncta deniq; vel linguarum  
gymnasia vel moram.*

Scribit porro S. Augustinus l. 2. *Confessionum*, sese à pa-  
rentibus missum MADAVRVM, literarum atque oratio-  
nis percipiendæ gratia. *Libro item quinto & sexto me-  
morat, docuisse sese & in patrio oppido. Ut proinde fu-  
erint tum Africæ etiam non magnis civitatibus Scholæ  
quædam Oratoriæ, ac proinde & Grammaticæ. Utrum  
vero illæ fuerint etiam publicis impensis habitæ, nec ne,  
haud dixerim.*

## SUPPLEMENTVM XIV.

Ad pag. xliix.

Scholæ juris Romani BERYTIENSIS, jam ante Diocle-  
tiani & Maximiani Imperium, meminit S. Gregorius  
Neocæsariensis Episcopus: qui magnorum miraculorum  
patratorum dignitate *Θαυματουργὸς* cognomentum meruit.  
Is enim in Panægyrico, quem in magistri sui Origenis  
laudem conscripsit, ita loquutus est. *ἡ τῶν Βηρυτίων πόλις,  
Ρωμαϊκοτέρα πῶς, καὶ τῶν γόμων τέτων εἶναι πισδωτέσσα παιδωπέρι  
Hunc.*

Hunc verò Gregorium factum fuisse Episcopum decimo Alexandri Severi anno, recte probat Baronius tomo Annalium secundo ad annum 233. Antiquior Scholæ illius memoria vereor ut hodie supersit. Ideoque haud vanâ fortassis conjecturâ dixeris, cæpisse illam auspiciis ipsius Alexandri Severi Imperatoris. Is fanè ut gente Syrus ita favit illi regioni, perinde ut ante illum Heliogabalus sive Alagabal. Simul verò cùm aliis literis tum Juris studio impense fuit deditus: quo factum, ut plarique peritorum Juris, è quorum scriptis Digestorum libros Tribonianus confarcinavit, ejus in aula vixerint. Quos inter cum eminuerit Domitius Ulpianus natione & ipse Syrus, fortassis hujus consilio nova Schola hæc Legum Romanarum est excitata. Metropolis tamen dignitatem civitati Beryto primi Theodosius & Valentinianus Augusti dederunt: ceu liquet ex titulo Codicis Justiniani de *Metropoli Beryto*, qui est vicesimus primus libri undecimi. Quarto Seculo Christiano invidendo eam urbem profectus est elogio Geographiæ ille Græcus scriptor, quem edidit vertit & doctissimis Notis illustravit Jacobus Gothofredus, vir inter primos rei literariæ antistites numerandus. *Berytus (ait) urbs valde delitiosa, & auditoria Legum habens, per quæ omnia tribunalia Romanorum stant. Ibi quippe viri edocti per omnem orbem terrarum adfessores sunt, & Legum peritia provincias tuentur, quibus Constitutiones mitti subinde solent.* Operæ fuerit pretium legisse, quæ ad hunc locum eruditissimè ut semper Gothofredus annotavit. Eunapianum elogium ex seculo illo jam adduximus. Incidit autem in tempora Constantii Imperatoris. Non multò post Libanius oratione 26 conquestus est de numerosâ adolescentum multitudine, eloquentiæ studiis posthabitis,  
Berytum

Berytum conflente. Unde discere est, Scholas Rhetoricas nullas ibi fuisse celebratas. Perinde atq; nullam ibi fuisse Scholam Philosophicam, facile collectu est ex iis quæ disseruntur initio libelli Zachariæ Scholastici. Ideoque non dixerim posthac, Zachariam illum Scholasticum fuisse fortassis Rhetorem Berytium: præsertim quia *Scholasticus* tunc temporis fuit potius caussarum patronus. Verba ipsamet Libanii prolixitatis vitandæ causa non adducemus. Ex quinto seculo est illud quod ex Zacharia Scholastico adduximus. Eodem Nonnus cecinit *l. XLI. Dionysiacorum.*

περπνῆς  
Φοινίκης κλυτὸν ἄστυ, νόμων ἔδ' Ἄουσωνίων,  
Non terræ autem motu duntaxat everfa est Berytus, sed post etiam incendio periit. De quo superest Græcum Epigramma, quod Conradus Rittershusius, vir incertum pietate an eruditione major, in suis ad Salvianum longè præclarissimis *Antiotatis pag. 246* ex *Anthologia* adducit & sic vertit Latine.

*Heu nimium infelix urbs, non urbs, lumine cassis,  
Fusa solo, en, jacco mixta cadaveribus.  
Nec sat erat, me Neptuni sensisse tridentem.  
Muciberis eladem hanc addidit ira novam,  
Hei mihi! quæ pridem fuerat pulcerrima forma,  
Eheu jam tenui pulvere versa jaces.  
Vos quibus hac iter est nostræ miserescite sortis,  
Beryto & lacrymas post sua fata date.*

Sic verò interiit celeberrima illa quondam Romanarum Legum Schola Nec enim unquam ex eo re floruit: et si ipsa urbs pristinae dignitatis haud parum post recuperaverit.

Quoniam verò usi sumus Zachariæ Scholastici testimonio, eumque seculo quinto scriptum floruisse, obiter meretur

meretur notari, perperam à Casparo Barthio, sine Notarum ad Aeneæ Gazæi Theophrastum, illum coævum factum Ammonio Sacæ, quem ipse tradit Commodio imperante vixisse. Omnia enim quæ ibi docet Barthius sunt ἀπίστα: & ipsemet in Notis ad Zachariam pag. 243 & 250 demonstrat, intelligendum esse non Sacam Ammonium sed Hermeiæ fil. & Zachariam Basilio ac Nazianzeno esse juniorem. Ammonium verò hunc esse eum, ex cuius dissertationibus suos in Aristotelem commentarios concinnavit Philoponus, liquidum est: non minùs atq; hunc Philoponum Heraclio Imperatore adhuc floruisse Alexandria. Verissimum igitur est, & Zachariam hunc & Aeneam Gazæum ætate fuisse pares sub finem seculi quinti. Unum autem aliquem sub illis nominibus latere, non equidem dixerim. Etsi enim eruditio non sit dispar, dictio tamen Zachariæ est floridior & diversa.

## SUPPLEMENTVM XV.

Ad pag. xix & xx.

**D**efuisse Athenis Grammaticos magistros vix est veritas ille. Quia illud studium ab antiquis usque temporibus inter Græcos, & Marciævo alibi passim, fuit celebre.

Politicam cathedram Philosophos tenuisse, fortè non debuit dici. Sanè olim, Aristotelis successorum ævo, Politici Philosophi audierunt illi qui erant ex Peripato. Quoniam tamen, post Aristotelis libros in lucem reductos, Græcorum nemo Politica Aristotelica illustravit, vero est simile, à Philosophis curam Politicæ prudentiæ tandem fuisse alienam. Eoque præplacet, Politicam cathedram fuisse occupatam à Rhetoribus illis qui Scholam habuerunt in causis Generis deliberativi: cuiusmodi sunt declamationes Dionis Chrysostomi cum primis & Libanii.

Gg

Herc.



*Hæreditatis Platonicæ nomine venisse illa tempestate proventus homini Platonici, quales illi erant sensim aucti multorum liberalitate, per est verosimile. Verba Suida huc pertinentia jam tum Supplemento septimo adduximus.*

Synesio potius credendum esse quàm Zosimo de Athenarum infortunio quod ab Alarico & Gothis fuerunt passa, penè vacat cubio. Synesius enim ipsa illa vixit ætate, Zosimus postea demum, homo idololatra. Sed & Claudius ejusdem ætatis Poëta magnus l. 2. in *Ruffinum* de Gothica illa in Græciam irruptione disertè ait:

*Nec fera Cecropias traxissent vincula matres.*

Quò videtur facere etiam hoc, quod ne quidem Geographus ille quem Jacobo Gothofredo debemus, Athenas celebret melioris doctrinæ Scholarum nomine. Cum post autem Proclus & Marinus alique Philosophiæ magistris ibi docuerint, iterum aliqua laude restoruisse Scholam etiam illam Philosophicam, liquet. Idem colligere est ex *Theophrasti, Aneæ Gazæ dialogi*, primordio, ubi legitur, voluisse illuc quidem proficisci Axitheum, non Alexandriam tamen. Caterum Justiniano imperante videtur illa schola sensim unà cum aliis exspiravisse. Non enim ulla ejus laudatio post tempestatem istam usquam memoratur: et si Procopius Casariensis *ἡ κτισμένη Ἰερουσαλὴμ* l. 4. renovatam illam urbem non nihil à Justiniano prodidit.

Qualis superiore seculo fuerit Athenarum infelix status, discere est ex Turcogræcia Crusii pag. cum primis 46. 95. 430. & 461. Claudemus narrationem verbis Cretensis Philosphi doctissimi Danielis Purlani. Is enim in suis *Annotationibus ad Theophrasti Eresii librum de Signis*

pluviarum & ventorum, ad Maximum Margynium Cytheræ Episcopum in hæc verba est præfatus. *In infelici illa Græcia, quæ barbaries! quæ ignavia! Felix illa ingeniorum mater & alerix, quæ literas omnibus pene populis eradidit miserè devastata, barbarorum mores legesq; suscepit: literas autem non amisit modo, verùm & illam cæli temperiem, quæ vetera producebat ingenia, infelicissimam experitur. Itaq; Athenis ipsæ, imò in Athenarum ruderibus atq; reliquiis, vix invenias qui norint legere: in tota Græcia pecudes verius esse dicas quàm homines. Ac fuit sane tempus, cum sub præscorum Paleologorum auspiciis in Peloponneso, ubi maxima fuit illorum Principum auctoritas, ceperunt literæ revirescere. At Byzantio capto, Peloponnesiq; urbibus & captis & dirutis, eandem & illa infelicitatem experta est quàm reliqua Græcia.*

## SUPPLEMENTVM XVI.

Ad pag. xxii.

**I**N hisce literis quondam maximus Thomas Reinesius *l. 3. variar. lection. c. XI* Olympii Archiatri facta mentione, ita scribit pag. 519: *Iste quod Constantinopoli artes profiteretur (hoc autem erat archiattrorum) Sophista vocatur ab Aëtio* *ter. 3. sect. 3. cap. 29. eiq; tribuitur compositio quadam ad vesicam exulceratam.* Verùm videtur eorum oblitus quæ paulò ante & recte quidem de Archiattrorum officio præmiserat. Et verò artem medicam facere Archiatri est, non autem docere. Nec inter Constantinopolitanos Professores receptum quenquam qui Artem medicam docuerit, liquidum est ex iis quæ adduximus Codicis verbis. Sophista igitur qui Aëtio audit Olympius, aut alius fuit ab illo Archiatro, aut etiam ille docuit Artem Medicam Alexandriæ: qui unus locus scholam habuit quondam sub Cæsaribus Medicæ arti consecratam.

## SUPPLEMENTVM XVII.

Ad pag. xxiii. xxiv &amp; xxv.

**P**hilologica indubiè & Grammatica fuerunt quæ in Alexandrino Museo agitavit Hadrianus: non enim ultra exporrexit se Augusti illius curiosa eruditio. Spartianus in eius *vita cap. 19* ita scribit. *Apud Alexandriam in Museo multas questiones proposuit: & propositas ipse dissoluit.* Refert Dio *l. 77* Caracallam Aristotelicis Alexandriae abstulisse unâ victitandi commoditates aliosque fructus, quos habebant. Quo liquet, isthac etiam tempestate mansisse institutum Philadelphi de communi victu Professorum quorundam in Museo. Indubie enim Dioni sermo est de Museo, à quo, Alexandri Magni infano amore furiosus, Caracalla Peripateticos exclusos voluit, sicut florentissimam urbem penè excidit. Diximus jam tum de Museo: nec iis quidquam addere utile fuerit. Legenda autem omnino sunt, quæ Casaubonus ad extremum librum quintum Suetonii annotavit: ubi etiam expenditur, quod à Claudio Principe novum nomine ipsius dictum veteri Museo fuerit additum. Quæ autem Geographus ille Gothofredi narrat de certamine inter Græcos & Ægyptios, utris debeat meritò prius in Museo locus, fabulosa arbitror & memoratu indigna: arguunt autem, nisi fallor, auctorem illum fuisse gente non Græcum sed Ægyptium. Notissimum videlicet est, colonias Græcas longo doctrinæ intervallo superasse originarios Ægyptios, & plurimis à me demonstratum *primo Hermeticorum libro.*

Quæ de Hypsicles ætate diximus multùm absunt quidem ab iis quæ habet incomparabilis Vossius *libro de Scientiis Mathematicis c. 54.* conjicit enim ætatem Hypsicles in tempora Ptolemæi Latyri, sed levi argumento. Quasi  
nem.

nempe Isidorus, laudatus Hyphclis magister Latyro fuerit coævus. Quis credat autem, jam Latyriævo Apollonium habuisse suos in schola interpretes? Sed & Eutoicii ætatem incertam esse docuit Vossius: quam nos certò definivimus.

Ad secularia porrò ut vocantur & verè sacra studia Alexandrina respexit Gregorius Nyssenus libro contra Apollinarium scribens: ἡ μὲν οὖν ἐστὶ κοσμικὴ σοφία εὐφορεῖ ἡ μεγάλη τῶν Ἀλεξανδρέων πόλις, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀληθινῆς τῆς ὄντως σοφίας παρ' ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς βρύσσον αἱ πηγαί. Idem in vita Gregorii Θαυματουργοῦ indicat, sua ætate ad Philosophiam & Medicinam discendam undique juvenes concurrisse. εἰς ἣν (τὴν μεγάλην τῆς Ἀλεξανδρέων πόλιν) καὶ ἡ πανταχόθεν συνέρρεει κρήνη, τῶν περὶ Φιλοσοφίας τε καὶ ἰατρικῆς ἐσθλακόντων. Gregorius Nazianzenus illà quã Casarium fratrem defunctum laudavit oratione Alexandriam appellat παντοίας παιδευσεως καὶ τότε ἤνουν ἔσαν καὶ δοκῶσιν ἐργαστήριον. Quanta Alexandria quondam fuerit Medicorum Chirurgorumque frequentia, indicat illud in prologo Mythologiae Fulgentii scriptoris cæteroquin pretii exigui. Inveniebatur enim quibus inter bella arri-deret, nisi me etiam exinde bellis crudelior Galeni curia exclusisset: quæ pene cunctis Alexandria ita est inserta angiporitis, quo Chirurgicæ carnificinæ laniola pluriora habitaculis numerentur.

Quantumvis autem ita seculo quarto studiis omne genus Alexandria floruerit, sine tamen seculi quinti multum pristinae laudis jam perdidit. Manifestum illud est ex iis quæ habentur circa initia ejus dialogi quem Theophrastum intercipit Aeneas Gazæus. Adducemus inde nonnulla, qualia vertit Caspar Barthius. Ibi scilicet Axi-theus advena Alexandrinus ita compellat Ægyptum, hominam Alexandrinum. Sed dic mihi, superantne apud vos

(Alexandriæ) qui Philosophia arcana perinde enarrant, uti nos-  
ter Hierocles, & à juventute generosi cordatiq; auditoria  
discipulorum frequentant, qualem memineris Protagoram illum Ly-  
cium (fortassis autem ita appellat Proclum Lycium suum  
quondam condiscipulum) ætate mihi æqualem specie verò inge-  
nioq; superiorem? Agyptus respondens: Olim pulchrarum rerum  
erat studium, nunc omnia id genus passim evanuerunt. Qui nomina  
fabulis studiosorum dederunt, abhorrent doctrinam: cujus erat do-  
cere, nihil præter supercilium doctoris habet, cætera vel docendis  
rudior. In Circo & Theatris juvenus habitat; frigent liberalium  
subsellia artem, magna vastitate horrent Philosophorum schola.  
Docuit tamen ibi, si non jam tunc paulò certe post, magna  
doctrinæ laude Ammonius: ex cujus publicis dissertationi-  
bus ab Joanne Philopono & Olympiodoro conscripti sunt  
eximii Aristotelicorum aliquot librorum commentarii.

Cæterum de Alexandrinorum omnibus rebus fuerit  
pretium legisse, quæ magno studio ad Zachariam à pag. 285  
usque 296 Barthius, atque ad xviii cap. sui Geographi Ja-  
cobus Gothofredus, congesserunt.

## SUPPLEMENTVM XIX.

Ad pag. xxix.

**P**ER sanè videtur simile vero, id ipsum quod Zonaras  
habet de subtractis à Justiniano subsidiis sive salariis  
Professorum, ex Procopii *Auxdōtōis* acceptum esse. Illa e-  
nim *Auxdōtōis* fuisse in manibus Zonaræ, multis est indiciis  
manifestum. Certò tamen equidem haud asseveraverim,  
quoniam utriusq; narratio non omninò est eadem. Verba  
Zonaræ Latine versa adduximus. His jam adjungemus  
Procopiana, Græce ut & Latine à nobis reddita (Alemanni  
versio enim nimis sibi indulget) quò possit institui compa-  
ratio. Igitur cum à Justiniano Causidicos Byzantij fuisse  
everfos

versos dixisset, pergit Procopius etiam de Medicis & Professoribus, ἅμα καὶ τὰς ἰατρὰς τε καὶ διδασκάλους τῶν ἐλευθέρων τῶν ἀναγκαίων σερείδῃ πεποίηκε. Τὰς τε γὰρ σιτίσεις, ἃς οἱ ἀρχεπερὶ βασιλευσίνης ἐκ τῆς δημοσίας χορηγεῖσθαι τέτε δὴ τοῖς ὑποδηλωμασιν ἐταξῶ, τούτας δὴ ἄτος ἀφείλετο πύσας. Paulo post. καὶ ἔπε ἰατρῶν τε ἢ διδασκάλων τὸ λοιπὸν ἐγένετο λόγος. Sed & Medicos ac Liberalium scientiarum Professores iis quæ viæ sunt necessaria carere fecit. Annonas enim, quas priores Reges ex arario in hos usus præbere constituerant, hic subtraxit omnes. Ideoq; imposterum nulla fuit ratio Medicorum aut Professorum. Hæc habet historia illa Ἀνεκδοτῶν: nulla hîc quidem factâ mentione siue nimii ædificandi studii, siue Præfeti alicujus, quod tamen fit apud Zonaram. Ut proinde Zonaras alium fortè auctorem fuerit secutus.

Haud dissimulabo tamen, in ipsa illâ Arcana aut Occulta historia alibi inter causas rapinarum, quarum Justinianus accusatur, reprehendi etiam ædificandi insanum amorem, & quorundam præfectorum Φιλαργυρίας: quæ tamen non omni ex parte Zonaræ narrationi conveniunt. Fortassis verò & de fide ejus quod Justiniano impingitur criminis, haud injuriâ dubitaveris. Etenim τῶν Ἀνεκδοτῶν scriptori haud fas est securè credere: quoniam exemplo carent illi commentarii, Procopius autem si isthæc scripsit fuerit utique ille ingenii maligni & proindè indigni fide. Ad hoc in Codice Justiniano longe alia legere est titulo de Medicis & Professoribus, ut & de Profesforibus Urbis Romæ ac Constantinopolis, alibique. Verumtamen sæpenumero & leges non observantur: neque ex legibus quænam fiant, sed fieri debebant, potest, fateor, accipi.

Fortassis sanè ob subtracta Professoribus stipendia in Persiam Justiniano imperante commigraverunt præstantissimi

tissimi ejus ætatis Philosophi, Damascius Syrus, Simplicius Cilix, Eulalius Phryx, Priscianus Lydus, Hermecias & Diogenes Phœnices, Isidorus Gazæus: quod iter memorat Suidas voce πέρσβεις. Nisi id contigisse malis, ob irruptiones Scythicarum gentium, quæ isthac tempestate Græciam, ubi hi Philosophi vixerunt, fœde sunt populatæ.

Id certum est, nullius liberalium disciplinarum Professoris, in quem Justinianus fuerit beneficus, mentionem fieri: nec à quoquam munificentiam illius Principis in literas & literatos laudari: ex aduerso illâ circiter tempestate passim terrarum studia meliora concidisse.

Prius verò quam hunc de salariis Professorum subtractis locum deseramus, monendum videtur: illa quæ *Supplemento VII* ex Suidâ adduximus, de privatis, in utrumque Philosophiæ Professorum, Athenis nomine Platonice hæreditatis institutis bonis, ut complura alia esse desumpta ex *vita Isidori* à Damascio conscripta. Leguntur enim eadem in Excerptis illius libri, quæ Photius reliquit tempestate ducentissimo quadragesimo secundo. Quia pleniora & planiora sunt illis Suidæis, adferemus etiam hæc in medium, & quidem sua linguâ. ἡ τῶν Διαδοχῶν εἰσία ἔχεται ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσι Πλάτωνος ἦν τὸ ἀνέκαθεν. Πέντης γὰρ ἦν ὁ Πλάτωνος, καὶ μόνον ἐν Ἀκαδημίᾳ ἐκεκλήθητο κῆπον, ἔνθα ἡ πρὸς τὸν νομισμάτων τριῶν. ἡ δὲ τῆς εἰσίας ἔληξεν χιλίων ἢ καὶ πλείονον ὑπέσχετο Ἰππάρχου, πολλῶν τῶν διποτυησόντων χρήματα τῆ σχολῆς καταλιμπανόντων. Hanc porro substantiam Successionis Platonice itidem à Justiniano fuisse subtractam, haud memoratur quidem in Excerptis; fortè tamen quia nondum contigerat. Et verò scripta est illa Isidori vita ante Justiniani tempora. Legitur enim in iisdem Excerptis de Balamire uno Atrile pulicorum, corpus ipsius scintillasse, illumq; patrem fuisse  
ejus

ejus Theodorici, ὅς νῦν τὸ μέγιστον ἔχει κρῆτος Ἰταλίας ἀπάσης: quibus verbis significari Theodoricum Ostrogothorum Regem, manifestum est.

## SUPPLEMENTVM XIX.

Ad pag. xxxi & xxxii.

Qualis fuerit eruditio Sarracenorum ante Muhamedem, ex iis quæ jam tum attulimus *Supplemento Quinto* constat. Nec verò est quod aliter sentire nos faciant Locmanni quæ feruntur Fabulæ. Sunt enim quidem illæ vetustiores, arguuntque aliquam humanæ vitæ rerum prudentiam: sed illam etiam nos Arabibus istis haud denegavimus, & fuit illa scribendi ratio antiquo ævo familiaris. Sed & à Gregorio Abul-Pharaji celebratur p. 99 Hared Ebn Chalda: quo medico usus fuerit ipse felicissimus Pseudophetarum Muhameth: verùm ille alibi artem didicit non in Arabia, teste eodem Gregorio. Si ea porrò est Arabismi elegantia in Alcorano quam nonnulli prædicant (fortè tamen nullo idoneo instructi argumento: Vnde enim noscas linguæ illius puritatem, quoniam cum antiquioribus Mahumete Arabum scriptis institui comparatio non potest?) ad doctrinæ vim tamen probandam, nihil facit. Enimvero quod Abul-Pharai scribit pag. 104: in defectu miraculorum sui Prophetæ, *Ismaelitarum doctos* ad Prophetiam Mahumetis confirmandam *inniti magis uni Alcorano; in quo hoc ipsum pro miraculo habeant, quod cum conati sint eloquentissimi quisq; ei par aliquid elaborare, ne capitulum quidem unum ipsi conferendum proferre potuerint: id stupidam superstitionem arguit, confutationem haud meretur.*

Quæ ex Leone notavimus de melioris cujusque doctrinæ libris antiquis, sive Græcis sive Latinis, à superstiosis Arabibus per Africam abolitis, seriùs nonnihil contigerunt:

Hh

tigerunt:



tigerunt. Verba enim ejus sunt. *Eo tempore quo à Bagadadè Pontifice deficientes rerum in Africa portebantur Arabes, omnes Afrorum libros igni committi jusserunt. Sic enim persuasum habebant quamdiu penes Africa incolæ esset aliqua Naturalis scientia aut bonarum disciplinarum cognitio, fore ut superbia eos indies ad tumultum atq; ad Mahumetica Legis contemptum magis ac magis provocaret.* Idem paulò post de Persarum literis & scriptis ait. *Nonne idem & Persis, dum adhuc stare Arabum imperium, accidisse legitur? Certissimè constat, hos quoq; literas, quas sibi peculiare habent, amisisse: omnesq; illorum libros Pontificum Mahumedanorum jussu igne consumptos: ne quid rerum Physicarum cognitio aut Idolorum Leges Mahumetica detraherent dignitati.* Horum primum quod de libris per Africam combustis scribitur, si Leonis volumini credamus, contigit demum anno circiter Hegiræ quadringentesimo, atque adeo post Christi annum millesimum, ætate nempe Elcaini Chalifæ Ægyptii Schismatici. Fortassis autem mendosus est ille Hegiræ numerus, idque non tam Leonis quàm librarii culpa. Pridem certe antehac id factum Alexandria (quæ urbs ipso etiam Mahumete vivo præ aliis abundabat adhuc quadam & librorum & doctorum copia) jussu Omaris Chalifæ, ejus qui Heraclio adhuc Imperante Pseudoprophetae successit secundus, obiitque anno Christi 643: quando in Africam nondum penetraverant Arabum arma. Opera facturus fortè sum pretium, si attulerò, quod Gregorius Abul-Pharaji huc spectans narravit pag. 116, de Joanne Grammatico aliàs Philopono dicto Alexandrino Professore, & Amro, quo duce Omar Ægyptum occupavit. Prolixiuscula enim utut videri possint, lectu tamen sunt dignissima. Scribit igitur in hunc modum, vertente Arabica Edvardo Pocockio. *Hoc tempore claruit*

claruit inter Muslemios Ioannes quem vocamus nos Grammaticum: qui & Alexandrinus fuit, fidemq; Christianorum Iacobiticorum professus Severi doctrinam adstruebat, deinde recessit ab eo quod profitentur Christiani de Trinitate. Quare convenientes eum Episcopi in urbe Mesra rogaverunt, ut ab eo quod profitebatur rediret; cumque redire nollet, cum de gradu suo deiecerunt. Vixitq; donec caperet Amrus Ebno'l'As Alexandriam, & ad Amrum accessit. Qui, cognito quem in scientiis locum teneret, honore ipsum affectit, audiitq; de sermonibus eius Philosophicis, quibus assueti non fuerant Arabes, quod eum ad stuporem redigeret, quoque percelleretur. Fuit autem Amrus intellectu praeditus, ad res percipiendas promptus, conceptibus claris; adhasit ergo illi, neque ab eo discessit. Deinde die quodam dixit illi Johannes: Circumivisti tu omnia Alexandria repositoria, omniaq; rerum genera qua in iis reperiuntur obsignasti; quod ad illa igitur, qua tibi profutura sunt, nolo tibi contradicere, at qua nulli tibi usui futura sunt, nobis potius convenient. Dixit illi Amrus: Quid est quo opus tibi sit? Dixit illi: Libri Philosophici, qui in gazophylaciis (Bibliothecis) Regis reperiuntur. Hoc, inquit Amrus est de quo statuerere non possum; Illud (petis) de quo ego quid in mandatis dare non possum, nisi post veniam ab Imperatore fidelium Omaro Ebno'l'charrab impetratam. Scriptis ergo ad Omarum literis notum ei fecit, quid dixisset Johannes. Perlatq; sunt ad ipsum ab Omaro literae, in quibus scripsit. Quod ad libros quorum mentionem fecisti: si in illis continentur quodcumque libro Dei conveniat, in libro Dei (est) quod sufficiat absque illo; quod si in illis fuerit quod libro Dei repugnet, neutiquam est eo (nobis) opus, iube igitur e medio tolli. Fuit ergo Amrus Ebno'l'As dispergi eos per balnea Alexandriae, atque illis calefaciendis comburi. Ita spatium semestri consumpti sunt. Audi quid factum fuerit & mirare. Hæc omnia Abul-Pharajius

raji. Unde discimus, quo tum animo in Philosophiam & meliores quasque literas fuerint superstitiosi Arabes, quàmque miserè tum perierit thesaurus ille librarius Alexandria hæcenus superstes.

Perinde verò atque Sarracenorum in libros sævitiam & ruditatem egregiè narravit nobis Abul Pharaji, ita mirifice, illa etiam quæ de Maimone Chalifa diximus, illustrantur iis quæ idem memorat pag. 100. Quapropter illa quæ non possumus non hîc integra dare, quamvis itidem fortassis non nihil sint prolixiora. Verba hæc sunt versionis Pocockianæ. *At Alkadî Saed Ebn Ahmed Andalusenus. Arabes initio islamismi haud alius curam impendisse disciplinis quam linguæ suæ peritæ, Leguque suæ constitutionum scientiæ, excepta arte medica, quæ aliquibus eorum nota nec pluribus improbata fuit, quod eâ hominibus universim opus sit. Atque hic Arabum status fuit sub Omniadarum imperio At ubi Deus Hashemidas ad imperium evexit, & ad ipsos regnum transtulit, reversi sunt animi ab incuria suâ & ex perrecti intellectus à deliquo suo. Primus autem eorum qui scientiis operam dedit fuit Chalifa secundus Abu Jaasar Almansur, qui præterquam quod Legu peritæ excelluit Philosophiæ etiam studio incubuit ac præcipuè Astronomiæ. At ubi devolutum est inter ipsos imperium ad Chalifam septimum Abdallam AlMamunem Hurunis AlRashidi filium, perfecit ille quod orsus fuit avus ipsius AlMansur, & scientiam locis suis quarere aggressus, cum Græcorum Regibus intercedens, petiit ab illis, ut qui apud ipsos essent libros Philosophicos ad ipsum mitterent. Qui cum ad ipsum quos haberent misissent, conquisitis ille Interpretibus petiit eos ipsis accuratè vertendos imposuit. Cumq; qua fieri potuit diligentia versi essent, homines ad eos legendos incitavit, eorumq; perdiscendorum desiderium ingessit, ipseq; doctis vacare & eorum disputa-*  
tionibus

tionibus interesse (solitus,) & eorum dissertationibus delectari. Cum sciret doctos eos esse quos sibi Deus è creaturis suis selegit, & è servis proprios venascavit; utpote qui studium suum adhibuerint ad virtutes animæ rationalis acquirendas, abstinentes ab eo cui præcipuè inhiant Sineses & Turcæ, quiq; eorum vestigiis insistent, ut peritia artium mechanicarum excellent, gloriamq; captent ex eis quæ animæ trascibilis propria sunt, ut potentius concupiscibilibus emineant. Etiam hæcenus Abul Pharaji.

Faciunt huc etiam illa quæ J. Leo refert de Mamone libro de *Vitis Philosophorum Arabum*, quem ex Bibliotheca Florentina erutum primus edidit Hottingerus, & Bibliothecario suo inseruit. Ibi enim de Joanne Mesue Chaldo differens hæc etiam narrat. Tunc Mamon desiderio immortalis desiderabat intelligere antiquorum scientias; quoniam tunc nulla erat scientia Arabicè descripta; adeoq; dictus Mamon congregavit ingentem numerum doctorum diversarum linguarum, & interrogavit auctorum nomina, atq; librorum, quæ scripta fuerunt in arribus, lingua Græca Persica Chaldaea atq; Aegyptia, adeoq; multa eorum nominata sunt volumina. Misit tunc multos ex familiaribus suis in Syriam, Armeniam, atq; Aegyptum, ut illos emerent libros: de quibus sarcinas infinitas & tulerunt, & conduxerunt. Tunc segregati sunt boni & utiles: sicut in Medicina, in Physica, in Astronomia, in Musica, in Cosmographia, & Chronica, descriptis. Et posuit supra translationem Linguae Græcæ Joannem filium Mesuah prædictum, quoniam in illo tempore Christiani Græcis studebant literis. Posuit etiam supra translationem Græcam alios quamplures sub eodem Joanne: & supra Linguam Persicam Mabam dictumque Mesuah. Qui traduxerunt Librum Galeni in Medicina; post quæ omnia opera Aristotelis Arabicè traduxerunt, multis etiam aliis

*magistris auxiliariis.* Hæc Leonis addidisse de Mamone, nunc sufficiat. Congessit enim quædam etiam huc pertinentia incomparabilis Hottingerus in *Historia seculi IX*, verum illa ibi facile reperiri & majore cum fructu suo loco legi possunt.

Igitur Omniadibus Chalifatum administrantibus, nullam inter Muslimos quos appellant scientiarum curam fuisse, certum est. Et verò ad interitum omnis prisce doctrinæ Græcorum non potuit non vergere illud quoq; Walidi Chalifæ edictum, cujus Abul-Pharajus p. 129 ita meminit. *Christianorum scribis ne amplius Græcè sed Arabicè libros exararent interdixit.* Obiit autem ille Walid anno Hegiræ nonagesimo sexto, qui Christi est septingentesimus decimus quartus. Fortassis tamèn hoc edictum maximè spectavit scribarum illud genus, quos Notarios nuncupamus. Et verò Landulphus Sagax, tempora Justiniani Rhinotmeti enarrans, scribit prohibuisse Walid sive Walid Chalifam Syriæ (adhuc scilicet Regia sede Damasci hærente) scribi Græcè *publicos Logo thesi codices, sed in Arabicis annotari sine computo: quoniam, ait ille, impossibile est illorum lingua monadem vel duplitate[m] aut trinitatem, aut octo & dimidium & tria scribi: propter quod & usq; hodie sunt Notarii Christiani.* Verum huic Landulpho vix potest credi. Non enim quod addit de notis numerorum ignoratis Sarracenicæ genti, meretur fidem, quia Zifræ quibus hodie nos vulgò utimur Arabicum est inventum. Nisi forte illas etiam ipsi Arabes initiò ignoraverint, & denique, jam renatis sub Abasidibus scientiarum Mathematicarum studiis, post Landulphi aut ejus Græcoli unde hæc ille hausit ævum, in usum communem receperint. Quicquid sit, librum ullum Græcè à seculo usque septimo, atq; adeò post illud Walidi edictum

magistris  
HP 3

edictum in terris Sarracenicæ Imperii scriptum esse, nullo hætenus fuit indicio probatum. Par est ratio librorum Latinorum per Africam. Nec verò ullus hodie superest scriptor Latinus Africanus recentior irruptione Sarracenicâ in Africam. Quod si etiam fas est credere Joannis Leonis narrationi, suo jam tempore per annos nongentos, solos Arabicos literarum characteres in Africa obtinuisse, utique à primo usque exordio Islamismi in iis terris Latina quavis scriptio abolita est. Vixit enim Leo sedente Papa Leone decimo, ab illo nomen utrumque consecutus in Baptismo, post tamen, ut canis ad vomitum, ad Muhamedis sacra reversus.

Ommiadum porrò Chalifatum Imperium duravit ad annum usque Christi septingentesimum quadragesimum nonum: quo primus Abu l' Abbas Chalifatum suscepit, atque ad posteros Abbasidas sive Hashemidas propagavit. Mansur præterea, qui inter Abbasidas primus fertur favisse non nihil scientiis, Chalifatum aggressus est demum anno Christi DCCCLIV, & Bagdadum cepit condere octavo post anno, mortuus anno DCCCLXXXIV. Hætenus igitur, & usque ad Mamonem, adeoque ad seculum Christianum nonum, duravit inter Arabes, ob Imperantium ruditatem, etiam inter omnes alios subditos eorum, tantum non spissa barbaries: quantumvis aliquis literatorum amor in Mansore & Arone Rasido fuisset resuscitatus.

Non tantum verò celebris est fama institutæ curæ Almamoni bonæ doctrinæ, ut & Dimensionis terræ, sed etiam Observationum sideralium. Memorat sanè & illas Gregorius Abul Pharaji p. 161. hisce verbis. *Cum vellent Almamoni stellarum observationes fieri, ipsum (Almansurem) aliosq; complures Observationum & instrumenta consiciendi peritos illud fa-*  
cere

*cere iussit: qui illud praestiterunt in loco Sehmasia dicto, in provin-*  
*cia Bagdadensi, & in monte Casio prope Damascum.* Est autem  
 & frequens laudatio illarum Observationum in scriptis  
 Astronomorum sequioris tempestatis, Arabibus pariter &  
 Latinis, ferè non minus atque post cæpit Tabularum Al-  
 phonsinarum gloria.

Inter eos porrò libros quos de Græco verti fecit  
 Arabice AlMamon Chalifa, fuisse etiam Ptolomæi Alma-  
 gestum, docet ex manuscripto codice Latino Almagesti  
 Jacobus Christmannus vir eximiè mathematicarum re-  
 rum peritus, deque iis præclare meritis, *libro de Connexi-*  
*one annorum cum Alfragani Elementis edito pag. 471.* Ibi  
 enim hæc verba fuisse notata. *Liber hic præcepto Mamo-*  
*nis Regis Arabum, qui regnavit in Baldach, ab Abbahez filio*  
*Iosephi filii Maire Arithmetici, & Sergio filio Elbe Christiano in*  
*anno XII & CC secta Sarracenorum translatus est.* Abul-  
 Pharaji quoque notavit *pag. 4,* tempore Mamonis versos  
 esse Arabicè Apollonii Conicorum libros septem, etsi  
 octo sint ab ipso Apollonio scripti. Neutiquam verò  
 credendum est cum nonnullis, omnes Græcos libros qui  
 Arabice sunt versi, isthac unâ tempestate translatos esse.  
 Etenim etiam ab ipsomet Abul-Pharagio varii interpre-  
 tes celebrantur, qui multò post demum vixerint. Quin-  
 tamen isthoc ævo plurimi sint versi, non dubitamus.

Observari hinc obiter meretur: Græcos quidem &  
 Syriacos libros Arabicè versos passim narrari, Latinum  
 autem nullum, à quoquam. Non enim me fugit quidem,  
 Leonclavio fuisse persuasum, Justinianeum Codicem Ara-  
 bicè versum; non dubito autem fuisse viro præclarissimo  
 impositum: quoniam quo tempore sub Abasidis libri  
 Arabice verti cœperunt, ne Constantinopoli quidem Co-  
 dices

Codicis Justinianæi Latini ulla fuit auctoritas, ullus in foro usus, fortè nec exemplar aliquod saltim in vulgi manibus; unde & Basilicorum editio similiumq; librorum tunc fuit necessaria.

Lectas quoq; historias Africæ Latinas Arabicis ejusdem terræ scriptoribus, tradit quidem & Joannes Leo, sed ita ut haud obscure significet, illas Latinas non esse integrè in Arabicum sermonem verfas. Sic enim ille *l. r.* loquitur: *Nullum habent Arabes de rebus Africanis historiam, qua non fuerit prius Latinè descripta. Auctores habent antiquos quosdam, qui partim Arrianorum temporibus scripserunt, partim etiam qui ante ea tempora fuerunt: quorum omnium nomina memoria exciderunt. Illorum autem volumina per multos continere libros, credibile est. Cum enim horum interpretes nobis quid persuadere vellent, id septuagesimo haberi libro ex illis me audisse memini. Neq; in vertendis jam dictis voluminibus auctoris ordinem sunt secuti, sed sumpta alicujus Principis historia, tempora illa cum Persarum Regum, aut Assyriorum, aut Chaldaeorum, aut Israëlitarum temporibus connexa maluerunt.* Si Leonis sanè huic narrationi credendum, haud super est hodiè Livii aliorumque historia ex Latino Arabicè versa. Quam tamen nonnulli ex Africa audent expectare. Et verò ipsam Livij historiam fuisse in manibus eorum, qui *septuagesimum* historię Latinæ librum testem laudaverunt, suspicor quidem, quia unus Livius multos adeo Historię libros condidit: indubie autem etiam illa Liviana interpolata sunt ab interpretibus & corrupta. Præter historica porrò isthæc nulla omnino reperitur ullius Latini scripti inter Arabes, nobis quidem notos, laudatio.

## SVPPLEMENTVM XX.

Ad pag. xxxiii.

**S**criptores Arabici indubie plurimi floruerunt, à seculo cum primis Christiano nono ad decimum quartum.

Ii

Pauci



Pauci tamen in vulgus Europæum innotuerunt: nempe illi duntaxat qui Latine sunt versi. Historia tamen doctorum Arabica lingue virorum à non uno exactè est tradita. De quibus quandoquidem jam dictum à nobis aliquid est in *Epistola ad V.C. Ioannem Henricum Meibomium* amicum dum viveret nostrum non è multis, quæ in opere Epistolico est *quadragesima*, non est cur illud argumentum heic denuò tractemus: præsertim quia non est hujus instituti. Hoc unum duntaxat nunc addimus; quod ex eo tempore quo scripta est illa Epistola, Vir Orientalis literaturæ sine exemplo peritissimus, simulq; inusitatae industriæ ac probitatis, amicus item heu quondam noster Hottingerus, in *Bibliothecario suo libri secundi Bibliotheca Theologica appendice*, nobis dedit Joannis Leonis illum librum de *Vita quorundam Philosophorum & Medicorum Arabum* cujus ibi facta est mentio: prodierit quoq; non multò post in lucem, interprete atq; editore Edoardo Pocockio, Historia Gregorii Abul Pharaji docta & varii argumenti.

Quamvis porrò abunde constet, passim per omnem fere Asiam, temporibus Abasidarum, doctrinam variam Sapientia fuisse cultam, de Scholis tamen publicis vix quidquam penè solet memorari. Id quod indicio fortassis est, propagatam illa tempestate meliorem quamque eruditionem operâ virorum doctorum privatâ; ad quos scilicet alii confluerunt discendi gratiâ. Et verò ipso Mamone Imperante ejusmodi scholam instituisse Joannem Mesuæ, non illum Damascenum longe recentiore, cujus scripta quadam Latine versa in nostris sunt manibus, diserte narrat Abulpharajas. Qui item nullius meminit Scholæ publicæ vel ab ipso Mamone institutæ: etsi apud illum in pretio fuisse doctos, ejusque curâ propagatam è Græco-

rum

rum scriptis Philosophiam Theoreticam, haud præterierit silentio. Maronitæ tamen ad Geographum Nubiensem *l. de Urbibus & Moribus Orientalium c. 2.* de Bagdado ajunt: *Urbs hac nobilis est Scholis, qua omni scientiarum genere floruerunt & adhuc florent.* Sed fortassis hoc etiam ita accipi debet: quasi vixerint ibi magistri: qui scilicet docuerunt, perinde atq; apud Athenienses & Romanos ante seculum Christianum secundum moris fuit: privilegiis quidem nonnullis & immunitatibus fortasse instructi, non tamen conducti publico ære. Præ aliis autem Asiæ urbibus inclaruerunt doctis magistris, post Bagdadum secundo loco Damascus, Cufa, Basora, Corasmix etiam metropolis Coacangh, de qua etiam Hottingerus quædam notavit in *Historia seculi XV pag. 673* ex Ahmede Arabicide.

Etsi denique possit videri, non omninò certum id quod diximus: Tatarorum & Turcarum Imperiis extinctam in Asia illam sub Abasidis renatam meliorem doctrinam: verum tamen est. Quamvis etiam sic leves aliquas reliquias heic alibi mansisse, aut interdum scintillam aliquam iterum emicasse, etiam ipsimet haud negaverimus. Et verò Gregor. Abulpharaji *pag. 358* de Naseroddino Tusensi, qui obiit anno 675 h. e. anno Christi 1276, hisce verbis usus est. *Hoc tempore diem obiit Chojab Naseroddin Tusensis Philosophus, qui Observationes Astronomicas in urbe Maragâ fecit. Sapiens insignis in omnibus Philosophiæ generibus: quem ad Observationes faciendas convenit magna Geometrarum præstantissimorum multitudo. Sub ejus arbitrio fuerunt omnes scholarum redditus, in omnibus quæ sub imperio Mogalensium erant regionibus.* Liquet hinc sane, à Tataris non fuisse excisas l. holas perinde atque factum initio statim ab Arabibus, sed earum habitam saltem tunc curam

laude non indignam. Dixerat autem & de Hulaco Mogolensium magno Monarcha jam tum Abulpharaji pag. 355: *Anno sexcentesimo sexagesimo quarto (Christi 1265) è vivis excessit Hulacu vir sapiens, mansuetus, intellectu & scientia præditus, sapientum & doctorum amans.* Item p. 351 de Kublai Kanni: *Amabat sapientes doctos & religiosos, cujuscunq; tandem sectæ aut gentis.* Imo cum jam concidisset A. C. 1335 Monarchia Tatarorum, de ipso Timur Lenc, qui obiit anno 1404, proditum: *Doctis illum favisse eorumq; consortio delectatum.* Quid, quod cum admiratione Europæorum legantur Tabulæ Astronomicæ UlugBeig magni Mogolis, nepotis Temurlenchi, sive ut vulgo loquimur Tamirlanis? Sed unus ille inter suos hanc laudem meruit: de reliquis nihil tale fuerit legere: eoque ad gentis vituperium magis hæc Ulugi opera facit quàm commendationem.

De Solimanno item Turcarum Imperatore ita Maronitæ cap. 7. scribunt: *Templo Mecano accedit nobilis disciplinarum Academia, beneficio & munificencia Solimanni anno fere ab Hegira 949 erecta: qui & sumptibus architecturam mirabilem & proventibus Lyceum ipsum ditavit.* Verùm & hoc in illa gente exemplo caret: nec ac ingenio Turcico profectum, sed à religioso quodam cultu & consilio alieno. Quanquam non desint qui affirmant, Averroicæ Philosophiæ fuisse studiosum illum magnùm Ottomannidam.

Magis indubiè admirationem meretur, id quod Joannes Leonclavius l. XV *Historiæ Musulmannicæ* narrat de Mahumetho ejus nominis secundo Turcarum Imperatore, atque Urbis Constantinopolis expugnatore. Ubi enim ædificia ab illo constructa enarrat, post alia sic loquitur. *Erat in Vrbe Constantinopoli locus sacer, quo Christiani templum suæ religioni perverius habebant, sanctis Apostolis dedicatum. Eo loco medressas*

medressas octo sive gymnasia pro studiosis litterarum struxit, & in horum medio templum eximium collocavit, & ex aduerso templi magnum imaretum fieri curavit, itemque ab altera parte rimarhanam, quæ medicandis agris est domus. Post singulas verò studiosorum medressas, unam tetimmen, quam vocant, iisdem inhabitandam edificavit. Simul ut omnibus horum gymnasiolorum doctoribus, magistris, & incolentibus tetimmen studiosis, ex imareto ibidem suo cibi panes alimenta cætera præberentur, ordinavit. Imaretum litteræ, quam Eleff vel Aleff vocant, similitudinem refert. Tunc ornandi doctoris secretiorum disciplinarum Scheichus Vefa Zadis causâ templum construxit, cum cellis religiosorum, in quibus & Deo serviunt, & dogmata penitiora percipiunt. Præterea viro Turcorum opinione sancto, Ebu - ejubi - Ensari, templum cum imareto gymnasioq; scholastico, extra urbem condidit. Addit ibidem: Deniq; viris in urbe Constantinopolitana doctis, pauperibus, pupillis, viduis, mulieribus dona distribuere solebat, ex animi benigni liberalitate profecta, quæ dici consueverunt elemosyna. Doctoribus etiam mensura salaria constituit. Hæc omnia Leonclavius. Sed nihil horum facit ad Sapientiæ & Artium studia: duntaxat autem pertinent cuncta partim ad ludos triviales, partim ad doctrinam Muhamedicæ religionis & Juris civilis Turcomannici. Quæ etiam ipsa tamen suam commerentur laudem.

Fatemur præterea, esse hodieque & PERSIS sua litterarum gymnasia. Sunt autem & illa ejusdem ferè generis cum Turcicis. Quàm rudia autem sint reliqua omnia & barbara, optimè possunt testari illa quæ refert Olearius l. 5. cap. 25. *Itinerarii Russo - Persici.*

## SVPPLEMENTVM XXI.

Ad pag. xxxv.

Quàm in Ægypto hodie Scientiarum artiumq; prisca cultura

cultura mutaverit, ut pateat omnibus, ipsa met Joannis Leonis verba hinc adferemus. Agens ille de Alcairi incolis, ita scribit: *Mercatura ac Mechanicis artibus dant operam, non tamen loco natali excedunt. Plurimum studio Legum incumbunt, Artium paucissimi. Quamvis Collegia perpetuo studiosis referta sint, exigui tamen ad frugem perveniunt.* Eandem rem quoniam Prosper etiam Alpinus, medicus doctrinâ præstans & qui per aliquot annos Cairi fecit Artem in ministerio Consulis quem vocant Veneti, l. 1 cap. 1. operis de *Medicina Aegyptiorum* pridem post Leonem præclare narravit, hujus etiam verba adferemus. *Ac primum dico, Cairi aliisq; in locis Aegypti, plurimos tum viros, tum mulieres reperiri, qui publice per urbem medicinam faciunt: non tamen ullos existere, qui hanc artem aliqua ratione atque Hippocraticè faciant: quando ibi nunc non literis sed armis opera ab his populis detur. Neq; id quidem mirum, cum Turcarum imperio ea gens subjecta sit, qui nullis scientiarum studiis delectantur: armis tantum auro argentog; & Veneri indulgentes. De quibus verè videtur Seneca dixisse;*

*Turpis libido dominatur (scilicet nunc) potens Venere,  
Luxuria victrix, orbis immensas opes*

*Iam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit.*

*Deest illis studiorum exercitatio, quamquam publicas scholas, sive studia ipsi habeant, in quibus varia scientiarum genera docentur. Cairi studii locum Gemelbazaz appellant, pro quo trecenta millia aureorum anno quolibet dissipari ajunt. Siquidem ibi totius Academiae sumptus ad libros, ad victum, & ad reliqua doctoribus & Scholaribus necessaria, quotannis ere publico suppeditantur. Ex omnibus verò Scientiis, atq; Artibus, quæ ibi docentur, ea sola pars Theologica apud ipsos colitur quæ Pseudoprophetae Mahometis leges institutionesq; pertractat. Multi siquidem,*

dem, propemodumque infiniti sunt, qui honoris atq; utilitatis gratia in ejusmodi scientiam incumbunt: quam qui adepti sunt in summo pretio atq; honore apud Turcas aliosq; omnes habentur. Hos Cadi appellant, quasi dixerint Sacre Legis doctores: quos Turca illius regionis prefectus suos quoque judices creat; quibus auctoritas concessa est, ut possint quacung; de re in iure civili ac pontificio judicare; ob quam rem ipsam tum in summa veneratione habentur, tum maximas parant opes. In aliis vero Artibus atq; Scientiis perpauci sunt, qui perfecti fieri studeant; omniumq; minime in arte Medica. Quae cum aliis omnibus ferè in locis summe dignitatis gradu sit, in sumum nunc atq; vilissimum, tum ob gentis barbariam, tum ob eorum qui per urbem medentur ignorantiam, locum tenet.

## SUPPLEMENTVM XXII.

Ad pag. xxxvi.

DE Mauricio per Africam & Hispaniam imperio non consentiunt scriptores. Nos præcipuè Joannem Leonem & Thuanum secuti sumus. His possunt & merentur adungi quæ narrat Joannes Mariana Hispaniæ rerum scriptor prudens non minus ac disertus, & alias passim in præclaro Historico opere, & cum primis l. VII. cap. V. l. X. cap. I. & l. XI. primo capite.

De his etiam quæ contigerunt Averroï imperante Mansore, egregia narrat Joannes Leo libro de vitis Philosophorum: cujus primam editionem debemus illi, cui plurimum debet literatura Orientalis, Hottingero.

## SUPPLEMENTVM XXIII.

Ad pag. xl.

DE studiis Maurorum in urbe Feza quæ agit Nicolaus Clenardus passim in Epistolis, idonea sunt Leonis narrationes illustrare. Non omnem autem tunc in Schola  
Fellana

Fessana Sapientiae curam exolevisse, etiam ipse Joannes Leo probaverit: qui se Fessae in scholis profecisse profitetur, simulque eruditionis suae insignem praebuit documentum non tantum luculentam illam Africae descriptionem sed etiam libello de Philosophorum vitis. Ad hoc testatur Paulus Jovius l. 34 *Historia*, de Muleasse Tunetano rege exule *per otium cum Philosophis de natura universi, & de motu caeli. potestatisq; siderum, exactissime ex Averrois disciplina illum disputasse.* De occupatione item Tunetanæ urbis Caroli Imperatoris auspiciis facta agens, *In ea, inquit, arcis direptione tria incomparabilis jacturae detrimenta Muleasses deploravit. Arabicorum voluminum imprimis, quae perturbata atq; direpta bibliotheca perierunt. Asservabantur enim antiquissimi codices non disciplinarum modo omnium praecepta, sed superiorum etiam Regum res gestas & Mahometanae superstitionis interpretationem continentes, quos Rex ipse postea me audiente, se unius urbis pretio (si fieri posset) fuisse redempturum, dicebat.* Quantumvis autem in Muleasse & aliis nonnullis fuerit, imò nunc etiam sit, aliquis Philologiae amor, communem tamen gentis ignaviam & ruditatem nihil hujus excusare est idoneum. Perinde ac superstites ibi bibliothecae non sunt documenta florentis ibi etiamnum doctrinae.

Obiter non possumus hinc non monere in universum aliquid, de eorum qui Arabicam linguam scripserunt eruditione. Magnus satis eorum est numerus, quantum haecenus variis est monumentis proditum, scriptorum ejusmodi; quoniam eorum pars in Asia pars in Africa vixit, ex variis regionibus oriundi, ita ut raro vel nullos invenire inter illos sit ex prisca Arabum prosapia. Quorum scripta Latine sunt versa, (esse autem versa Physicae quidem & Astrologicae & Medicae doctrinae linguae illius potissima, facit illud verosimile, quod

quod seculo duodecimo & terdecimo Christiano, quibus versiones illæ sunt institutæ, optimæ famæ libri quique Arabici fuerint nostris hominibus notissimi, eoque nomine interpretes suos acceperint) arguunt plerumque ingenium & iudicium auctorum suorum pereximia, non quidem si dictionem sed si res quæ tractantur spectare velis & docendi methodicam rationem. Quemadmodum autem ipsi illi scriptores ingenuè eruditionis suæ principes magistros agnoscunt Græcos priscos, ita licet etiam fortassis citra invidiam & obtreptionis suspicionem profiteri: longo intervallo omnem Arabicæ doctrinæ laudem infra Græcorum illorum merita subsistere: parùm certè, idque in perpaucis, isti Græcæ sapientiæ veteri ab Arabibus illis accessisse; ac proinde quoniam Græca hodie redierunt in manus nostras, non etiam esse, quamobrem Arabica isthæc nondum versa anxie amplius desideremus. Historiæ humanarum rerum, quæ quidem florentibus Arabum imperiis acciderunt, longe alia est ratio: vix enim illam petere aliunde licet. Frustra tamen aliarum gentium, quamvis Orientalium, res antiquissimas quasque, atque adeo & Græcorum & Latinorum, inde expectari, produnt nimis luculenter, quæ ad nos pervenerunt Arabum monumenta.

## SUPPLEMENTVM XXIV.

Ad pag. XLIII.

Quæ Theophilo ejusque filio Michaële imperantibus, facta est Constantinopoli melioris cujusque literaturæ restitutio quædam, ea quin contigerit Bardâ Cæsare annidente, nemo facile negaverit. Etenim Imperatores illi tantùm non monstra quædam hominum fuerunt: certè à studiis colendis quàm alienissimi. At nec Bardæ ingenium

Kk

fuit



fuit doctrina aliqua illustri excultum. Igitur perquam est verosimile, illud omne beneficium Photii consiliis deberi. Hic scilicet fuit ab eruditione quàm optimè instructus, quod  $\mu\upsilon\epsilon\pi\omicron\beta\iota\beta\lambda\omicron$  &  $\nu\omicron\mu\omicron\upsilon\delta\iota\omega\nu$  ipsius hodieque docent cum nostra admiratione: idemq; gratia atque auctoritate plurimùm apud Bardam valuit, teste ipsomet Zonara.

Leo porrò ille Philosophus, quem Theophilus evexit, præter Zonarae Cedreniq; elogio, etiam à Constantino Manasse in *Annalibus* audit  $\mu\upsilon\epsilon\pi\omicron\upsilon\alpha\theta\epsilon\sigma\tau\omicron$ . Quin etiam non dubitavit Manasses narrare, hunc Theophilo Imperatori planè inusitatum confecisse horologium: per quod Imperatori in regia consedenti singulis horis spectandum exhibuerit, quicquid novi vel apud Arabes vel apud Syros tentaretur. Machinam verò illam à Michaële Theophili filio fuisse destruatam. Indubie quidem hoc omne vanum ac fabulosum est: arguit tamen opinionem vulgi de isto Leone, quod nempe populus incredibilia etiam sibi de illo persuaserit.

Cæterùm ea quæ Theophilo Imperatore contigerunt doctrinae in lucem è tenebris reductæ primordia, per fuerunt obscura; & lux major deniq; refulsit seculo decimo; si quidem credere licet iis quæ in Præfatione Geoponicarum Eclogarum Constantini Porphyrogennetae Imperatoris continentur. Autor enim earum Constantinum illum Imperatorem ita alloquitur: ut quidem verba Græca interpretatus est Janus Cornarius. *Primum Philosophiam & Rhetoricam jam deperditas, & ad immensam oblivionis profunditatem demersas, mirabili artificio & prudentia retraxisti, robusta dextera tua illis porrectâ. Deinde verò etiam alias omnes scientias ac artes renovasti. Postremùm autem gnarus, politiam in tria hæc esse divisam: Militiam inquam Sacerdotium & Agricul-  
culturam: non minimam curam circa hæc postremam partem adhibuisti.*

*luisi, quæ humanam vitam maximè conservare cognoscitur.*  
 Si sanè ad illud usque tempus Philosophia & Rhetorice  
 perierant, facilè liquet quàm misera fuisset hætenus utrius-  
 que conditio. Ubi obiter haud abs re fuerit observare, re-  
 spexisse Præfationem illam ad libros varios, Constantini  
 illius curâ jam tum editos, quales de re militari erant  
*πυλινκῶν & περὶ θεμάτων* commentarii: nullo tamen indicio fa-  
 cto magni operis Eclogarum Historicarum, quia forte illud  
 tunc nondum fuit institutum. Is etiam porrò qui præfa-  
 tus est in Eclogas Historicas ejusdem Imperatoris, quarum  
 tituli tantùm duo hætenus lucem viderunt, quinquaginta  
 & uno etiamnum sive latentibus alicubi sive deperditis,  
 conqueritur de inopia quæ fuerit hætenus librorum Hi-  
 storiorum: ideoque & Imperatorem ex omnibus orbis  
 partibus libros doctrinâ variâ refertos conquissivisse.  
 Plane idem verò de hoc Constantino etiam alii Græci Hi-  
 storici tradiderunt. Disertè enim tomo tertio Zonaras:  
*Ἐπιμελέθη δὲ καὶ τῆς φιλοσοφίας αὐτῆς, ἑπιτελεσμένης ἤδη χεδόν*  
*ἄλλα μὲν τοὶ ἢ τῶν ἑπιστημῶν διδασκαλίας ἑπιστήσεις, ἢ ἀναζωπυρήσεις*  
*ἐκλειπῶσιν αὐτῆς.* Cedreni verba Latine sic sonant: *Scien-*  
*tias, Arithmeticam, Musicam, Astronomiam, Geometriam, &*  
*omnium principem Philosophiam, quæ jam longo tempore ob*  
*incuriam & inscitiam Imperatorum perierant, sua industria*  
*instauravit; conquistis qui in quovis genere excellere ac con-*  
*stitutis doctoribus, & diligentibus receptis & conductis. Quo*  
*factum est, ut exiguo temporis decursu barbariâ prostratâ Vrbs*  
*denuò literis floruerit.* Eisdem penè verbis usus est Michaël  
 Glycas Siculus l. 4. *Annalium*: ideoque nolo nunc illa ad-  
 ducere.

Præter istæc autem ab iis laudata dignum cum primis  
 etiam est æternâ memoriâ, Legum quoque studia hoc

demum Imperatore cœpisse nonnihil erigi. Et verò tunc Constantini Imperatoris curâ perfectum editumque est βασιλικῶν opus, novâ nempe ἀναπαθήσει repurgatum, etsi illud parens Leo jam fecisset conscribi. Tunc etiam demum Νομοτάτων Photii videtur in usum traductus, ejusdem Porphyrogenetæ auspiciis. Theophilo sanè & Michaële imperantibus etiam Juris Romani Justinianæi videtur perquam exigua habitata ratio, imo fortè nulla: præ Latini sermonis pridem sepultâ Constantinopoli peritiâ. Ut proinde tunc temporis indubiè nec Juris illius civilis superfuerit in vulgò quidem scientia. Id quod liquidò ostendit etiam illud: quoniam à Justiniani usque ætate non memorantur ulli libri Gracè scripti à quoquam Jurisconsulto aut Imperatore, donec tandem Basilii Macedo Michaëlis successor ἀρχιεργὴ νομικὸν publicavit. Superfunt enim quidem Justiniani etiam secundi, Tiberii, Heraclii, & Constantini quinti Novellæ quædam ante Basilium promulgatæ: sed cum paucæ illæ sunt, tum ostendunt rarum Juris civilis Romani, à Justiniano usque ad Basilicorum promulgationem, in foro, in scholis fortè nullum, usum.

UT in viam igitur redeamus, illa quæ Theophilo & Michaële imperantibus fuit instituta bonæ literaturæ resuscitatio perquam fuit levis: major autem laus debetur seculo decimo, & quidem Constantini Porphyrogenetæ Imperatoris prudentioribus auspiciis. Etiam illum verò Principem satis doctum, imò omnis doctrinæ patronum maximum, dum consilio haud quidem malo tot Eclogas variarum scientiarum fecit conscribi, non equidem dubito multum reipublicæ liberariæ simul nocuisse; hac ratione videlicet per ignaviam hominum optimis quam multis veteris ævi scriptis pereuntibus. Utinam tamen vel illæ  
Eclogæ

Eclogæ omnes hodie superessent! Præter Geoponicas autem & Hippiatricas nihil integrum superat: & Historicarum Eclogarum duo tantùm editi tituli penè desperare nos jubent de vitâ quinquaginta unius reliquorum.

Etsi porrò Constantinopoli aliqua semper ad finem usque illius Orientalis Imperii Romani manserit schola, eaque interdum sic fatis præstantibus florens magistris: in reliquâ tamen omni parte illius Imperii nihil simile vel à suis solet commendari. Non etiam instituta Constantinopolitanæ scholæ à quopiam, quod sciam, sunt memorata: ut nec quæ illius semper fuerint fata. Quapropter nec à me hoc loco quidquam eorum potest adjici.

Si in æstimationem autem venire debeat eruditio Græca, qualis fuerit sive à nono sive à decimo seculo, citra controversiam illa neutiquam meretur comparari cum peritiâ Veteris Græciæ, quamcunque doctrinæ partem placuerit attendere. Philosophia porrò Theoretica & Mathematicæ Scientiæ, ut & Ars Medica, longè excellentius ab Arabicis scriptoribus excultæ sunt. Poëtica quoque Arabum multò est quàm Græcanica elegantior. In solâ Historiâ scribenda fortassis ambigam palmam dixeris. Latinorum qui à Carolo Magno ad Constantinopolitani Imperii exitum vixerunt, vix dixeris præter unum & alterum in Historiâ sanè Græcis pares. Scribendi facultate itidem Græci prævaluerunt. In Logicis & Physicis & Metaphysicis Latinos equidem haud dubitaverim sequioris ævi Græcis anteferre. In Sacrà item doctrinâ & Legum peritiâ longe major Latinis videtur laus deberi: contra Græcis in Scientiis Mathematicis. Cum primis verò meritò vergit in Græcorum laudem, quod circa Imperii illius interitum, floruerit Constantinopolis quam maximè excellentibus inge-

virorum perinsignium. Et verò ipsasmet Aristotelicæ quoque Philosophiæ optimorum librorum verè Latinas non barbaras versiones, elegantioremq; solito veteris Philosophiæ cultum, debet Latinus orbis, Gazis, Argyropylis, Bessarionibus & aliis: quibus parem illa ætas in Latinis fortè habuit neminem.

## SUPPLEMENTVM XXV.

Ad pag XLIX.

**N**on erimus cuiquam molesti recitatione ipsorummet verborum Dominici Bannez: cujus testimonium de Academia Salmanticensi laudavimus in margine Dissertationis. Quandoquidem verò ille ingenue agnovit, Francisco Victoriæ deberi prima in illâ Academiâ subtilioris Scholasticæ Theologiæ exordia, egoque Relectiones illius viri eique suetam docendi rationem pridem magni æstimaverim, unum alterumque non possum non monere. Igitur ante omnia Andreæ Schotti ex *Bibliotheca Hispanica* *tomo secundo* adferam verba. *Franciscus à Victoria Lutetiæ Parisiorum haustâ primùm Scholastica Theologia, laureaq; merito parva, primus eam in Hispaniam veluti margaritam attulit.* Dubito tamen, utrum Parisiensi Scholæ suos in Morali Theologia profectus, quibus quàm maximè excelluit Victoria, debuerit: non sane quis par illius scholæ laudari potest. Equidem existimo, præ aliis istius seculi, culturam Moralis doctrinæ huic Victoriæ Hispaniam debere. Hoc magistro autem profecit Dominicus Soto: cujus de *Justitia & Jure præclari* iidem existant commentarii. Ex illâ portò Theologicâ Salmanticensi scholâ ad Didacum Covarruviam & Ferdinandum Vasquez cum pervenisset Morum illa & Juris Philosophia, capit demum in Hispaniâ alibiq; excoli Juris etiam prudentia, longè aliâ & accuratore quàm

quàm vulgo fieri solet ratione. Quorum diligente le-  
ctiōe & exemplo incitatus Hugo Grotius, quo valuit  
inuitato ingenii & iudicij acumine, dedit orbi opus il-  
lud incomparabile de Jure Pacis ac Belli.

## SUPPLEMENTVM XXVI.

Ad pag. LII.

**Q**uod Hippocratis nomine fertur JVS IVRANDVM,  
illud reverà esse ejus auctoris, nemo quod equidem  
sciam vocavit in dubium ante patrum aetatem. Potissi-  
mum dubitandi argumentum est, quòd in Galeni scriptis  
nulla ejus fiat mentio. Et verò fuit Galenus Hippocra-  
ticorum omnium cultor studiosus: itaque saltim alicubi  
in tanto librorum suorum numero ejus libelli memine-  
rit, si habuisset in manu. Verumtamen quia bona pars  
operum Galeni pridem periit, saltim incertum est quid  
Galenus fecerit nec ne. Diu verò ante Galenum vulgò  
fuisse chartam illam Jurisjurandi Hippocrati attributam,  
liquet ex Scribonio Largo, qui vixit Claudio circiter Im-  
perante. Sed & post nemine contradicente ita creditum  
esse, docent Soranus junior, Erotianus, Hieronymus, Na-  
zianzenus, Theodorus Priscianus: quorum testimonia pri-  
dem adducta sunt in medium, cum primis à Joanne Henri-  
co Meibomio (Medico si quis alius longè *χαριστιώτερος* & meo  
dum viveret amico magno, cujusque proinde memoria  
mihi semper erit in carissimis) in eruditissimo *Jurisjurandi*  
illius *commentario cap. 1.* Faciunt huc & nonnulla verba  
Cassiodori in Formula Comitum Archiatrorum, quæ habe-  
tur *Varior. l. 6. p. 19.* Arabicæ aut Latinæ scholæ recentiores  
non est quod laudem in testes. Attendi verò & hoc mere-  
tur, quod in illo libello nihil reperiatur indignum aut  
fama aut gravitate aut dictione Hippocratis. Utut igitur

*W. O. W. O. W.*

διποδεκτικῶς haud liceat Hippocratem asserere auctorem, sicut perquam probabile tamen id meritò est æstimandum.

## SUPPLEMENTVM XXVII.

Ad pag. LII.

**N**ON hoc loco disputabimus, utrum rectè à nobis sit dictum nec ne, Archiatros olim dictos quibus Principum valetudo curanda erat concredita. Etsi enim vox ἀρχίατρον primò haud significet τὸ ἀρχόντος ἰατροῦ sed primarium quemvis: nihil vetat tamen solius Principis valetudini dictos κατ' ἐξοχὴν ita esse appellatos. Comes Archiatrorum utiq; Principi inservivit, ceu Formula Cassiodoriana disertè docet; *Indulge te quoq; inquit, Palatio nostro; habeto fiduciam ingrediendi, qua magnis solet pretiis comparari.* In eadem Formulâ dicitur ἀπλῶς de Archiatri: *Habeant Praesulem, quibus NOSTRAM committimus sospitatem.* Fateor tamen haud esse vero ab similem sententiam eorum, qui Archiatros dictos omnes omnino primarios medicos arbitrantur. Fuisse verò certum gradum dignitatis Archiatralem, certumque etiam hujus tituli Medicorum numerum, liquidum est; patebitque ampliùs infra exiis quibus supplebimus nonnulla dicta pag. 116.

Examen autem Archiatrorum cooptandorum ne utiquam fuisse penes Comitem qui appellabatur, docet primò illud quod in constitutione Valentiniani & Valentis facultas illa examinandi tribuatur collegio quidem Archiatrorum aut Ordini, non autem Comiti; secundò quod in Formula Comitum Archiatrorum Cassiodorianâ nulla hujus examinis fiat mentio. Constituitur enim Comes ille ibi *judex* quidem, sed non nisi controversiarum inter Medicos de medendi ratione exortarum. Est verò illa  
Formula

Formula apprime lectu dignissima: præsertim addito doctissimo Commentario ejusdem quem ante celebravimus literatissimi viri & quondam amici nostri eximii Joannis Henrici Meibomii, etsi liber sit posthumus.

Notatu dignum porrò est id quod Formula ista habet. *In ipsas quidem Artis hujus initiis quodam sacerdotii genere sacramenta vos consecrant. Doctoribus enim vestris promittitis, odisse nequitiam & amare puritatem. Sic vobis liberum non est, sponte delinquere, quibus ante momenta scientiæ animas imponitur obligare.* Hæc sanè verba significant haud obscure, etiam illà tempestate, saltim quædam in capita Hippocratici Jurisjurandi sacramento solemni tyrones Medicæ artis adigere, recepti fuisse moris. Id quod aliàs fieri solere, haud equidem dixerim.

## SUPPLEMENTVM XXIX.

Ad pag. LIV.

Quamvis de examinibus Medentium inter Muhamedanos olim usitato, nihil differere potuerimus, fortassis tamen haud abs re jam fuerit, adferre aliquid huc nonnihil faciens, adhuc usitatum in Ægypto: idque testimonio Medici pereximii, quique ut post in Patavina Schola magno cum applausu Artem docuit, ita eandem Cauri per quadriennium juvenis feliciter jam fecerat, degens in Venetorum Consulis familia, Prosperi Alpini. Ita vero ille *l. 1. de Medicina Ægyptiorum c. 1.* scripsit. *Extat Cauri inter ceteros medicos omnes quidam Ægyptius quem Achimbasi illi appellant: qui medicorum princeps nostrâ linguâ interpretatur. Hujus officium est, illos qui ibi medicinam exercere velint, de illiusce artis peritia sedulo percunctari, & examinare, atque eis, qui in medendi examine recte responderint ac recte se gesserint, publica fide concedere, ut per eam regio-*

Ll

nem



nem mederi impunè possint. Istud autem in doctorum numero asciscendi munus non datur multis, ut in multis Europa locis fieri solet, sed uni solitantum, illique praesertim, qui plus auri argenteive Praefecto Cayri, quem Bassa appellant, hac de causa solverit, Parum etenim id curat hoc tempore Bassa, an ille, qui Achimbasi procreandus est, sit ad illud munus rectè obeundum probè idoneus: adeo nunc apud illos omnia corrumpit avaritia; non hoc, inquam, ille curat, sed an potius aureos multos ipsi offerat. Eodem exemplo & ipse Achimbasi etiam à Praefecto perdoctus, eodem avaritia vitio sublatu, pretium à cooprandis accipiens, omnes indistincte, cum indoctos tum doctos mederi per urbem sinit. Qua facilitate numerus tum virorum tum mulierum medentium in ea maxima urbe Cayri est ferè infinitus; cum quisque exhibitio auro possit ab Achimbasi medendi auctoritatem obtinere. Haecenus Alpinus. Unde discere est, lege quidem constitutum Cauri esse, non quemvis promiscuè sine praevia approbatione ad Artem faciendam admittere, sed illam haud observari, idque magno cum aegrotantium detrimento. Hanc legem verò jam esse latam ante Turcarum in Aegyptum imperium, per est verisimile: quia alias, ubi maxima est gentis Turcicae potentia, legis ejusmodi nullum comparet vestigium, sed barbarè istud omne administratur. Fortassis verò etiam alibi, in Africa & Asia, olim, florentibus Arabum rebus, tale quid obtinuit. Vereor autem ut hodie ejus superfit quidquam. Ut proinde haecenus Dissertatio nostra haud à vero aberraverit.

## SUPPLEMENTVM XXIX.

Ad pag. LXII.

**Q**ui primi in Aegypto Monasticam vitam degerunt, Paulo sive Antonio auctoribus, eorum saltim plarique homines fuerunt illiterati. Enimvero ipsemet Antonius

nus ne legere quidem potuit, ut in eius vita scribit Athanasius. Cum illius ergò exemplum maximè sectandum esse foret persuasum, ipsa etiam imperitia à quam multis in parte fuit sanctimonix æstimata. Sed & in universum ea fuit vivendi ratio, ut vix discendo proficere quisquam potuerit, tantùm abest ut potuerit quem alium docere. Et verò quum duo tum fuerint Monachorum genera, alterum Solitariorum sive Anachoretarum, alterum in Cœnobiis degentium, (non enim de Sarabaitis aut quos Gyrovagos appellant nunc agam) saltim Anachoretarum instituta & discendi & docendi viam præcluserunt: quoniam neutrum agi potest nisi in hominum consortio, à quo vita Anachoretica aliena est. Melior sanè multùm & humanior fuit vita Cœnobitica: eoque & ab ipsomet Hieronymo, quamvis antehac Anachoreta, præ alterâ est Rustico laudata, & passim prælata tantùm non ubivis: non tamen etiam illa vel ad discendum vel ad docendum fuit commoda, tempus omne eripientibus aliis exercitiis cum spiritualibus tum victui necessariis. Cum scilicet nec privatim neque ex communi suppeterent vitæ necessaria, coacti tunc fuerunt Cœnobitæ non minùs atq; Anachoretæ, manu & in vicinis urbibus mendicando, sibi alimenta conquirere. Undè Hieronymus ad Rusticum. *Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absq; operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem quàm propter animæ salutem.* Talem omninò fuisse vitam Ægyptiorum Monachorum, abunde testantur etiam Cassiani Collationes: in quibus de studiis literariis Monachorum Ægypti, quorum ille omnia habuit exploratissima, nihil reperire est, etsi illorum numerosa fuerint examina. Feruntur quoque etiamnum Regulæ quas vocant ipsiusmet Antonii aliorum-

aliorumque, interque eas una quam Angelus creditur Pachomio didicisse: habent autem etiam illæ de rebus scholasticis nihil.

Qui ex Antonii disciplina primus in Syria Monasticam instituit S. Hilarius Eremita, illum itidem à pericia aliqua sive divinæ sive profanæ scientiæ, non laudavit Hieronymus, quamvis vitam illius satis cum magnâ curâ descripserit. Nisi huc referre velis illud: *Scripturas sanctas memoriter tenens, post orationes & psalmos quasi Deo presente recitabat.* Id quod indubie non nisi de parte aliqua divini codicis accipiendum est. De cætero censueris, illum vitam instituisse Ægyptio more. Quæ propter & Hieronymus cum dixisset, illum *rastrum humum fodisse, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret:* mox subjungit: *Simulq; fasciculas junco texens amulabatur Ægyptiorum monachorum disciplinam, & Apostoli sententiam dicentis: Qui autem non operatur non manducet.* Quis dubitet verò ad illud exemplum saltim plerosq; alios Mesopotamiæ monachos vitam moresque instituisse?

S. Hieronymus tamen in Syriæ eremo vivens videtur non manu laborasse, sed tempus quod ab oratione & sacro cantu fuit reliquum studiis impendisse. Etenim suam quam Romæ collegerat Bibliothecam sibi adferri curavit: nec desit Ciceronis sese & Plauti lectione delectare. Quod cum faceret Scripturâ posthabita, febricitans in somnio acriter castigatus est. Ipse rem omnem prolixè narrat *libello ad Eustochium de Custodia virginis: penè negans fuisse somnium, quia viventes habuerit scapulas, & plagas senserit post somnum:* in Apologia tamen contra Rufinum, qui vituperaverat Hieronymum quod etsi castigatus non desisset Ciceronianus esse sinique: nec enim contigerat

gerat illud Hieronymo, quod Ciceronem legisset, sed quod S. Scripturam minore quam par erat studio tractavisset) scribit: *Sed tamen qui somnium criminatur, audiat Prophetarum voces: somnium non esse credendum.* Idem præterea S. Hieronymus, in cremo Hebrææ linguæ addiscendæ dedit operam. Verba ejus ex Epistolâ ad Rusticum de vivendi forma merentur integra hîc legi. *Dum essem juvenis, inquit, & solitudinis me deserta vallarent, incentiva victorum ardoremq; natura ferre non poteram: quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus astuabat. Ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi: ut post Quintilianæ acumina, Ciceronis fluviis, gravitatemq; Frontonis, & levitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaq; verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quoties cessaverim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia tam mea qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam. & gratias ago Domino, quod de amaro semine literarum dulces fructus carpo.* Eremitam porro agens S. Hieronymus per integrum quadriennium, interea temporis adolescens commentaria scripsit in Obadiam Prophetam, transtulitque Origenis quasdam homilias aliaque nonnulla. Habuit quoque ibi alumnos antiquariæ arti fervientes, ut ipse testatur *epistola sexta ad Florentium.* Unde manifestum est: S. Hieronymi Eremiticam vitam ab institutis aliorum Eremitarum toto fuisse cælo diversam. Multò magis diversa fuit ejus vivendi ratio quam Bethlehemi egit: utpote quum illo tempore docuerit ore ac scripto quamplurimos, & undique terrarum tantum non indies varios hospites exceperit. Scholam tamen publicam nec vel Hieronymus habuit; ne divinarum quidem

dem literarum. Utque ille sic sese gesserit, Rusticum tamen de vita monastica instruens *epistola 4*, ait quidem: *Ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis*: mox verò subjungit: *Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant mereri carnalia, cur tu in usus tuos cessura non prepares? Vel fiscellam tere junco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus: areole aequo limite dividantur &c.* Idem *epist. 13*, non nisi hoc unico utitur ad Paulinum, virum non indoctum, præcepto: *Semper in animo tuo sit sacra lectio.* Ad discendum ulteriùs illum non invitat, multo minùs ad docendum. Ita etiam describit Malchum monachum, ut liquidum fit, hominem fuisse illum omnis melioris doctrinæ rudem.

Verè igitur Monastica S. Hieronymi vita plurimùm distat ab institutis reliquorum non Ægypti duntaxat, sed Syriæ etiam qui tunc floruerunt, Monachorum. Apud reliquos nimirum non nisi *Sancta* quædam, ut cum Hieronymo loquar, *tantum sibi utilis rusticitas* obtinebat: ille verò otiabatur toti Ecclesiæ laborans. Quemadmodum verò sine exemplo tunc Monachum egit S. Hieronymus, ita in tribus muliebribus Bethlemiticis Cœnobiis inusitatâ ratione sese gesserunt Paula Eustochium, aliæque: itidem scilicet singulari industria divinis lectionibus intentæ, utpote quæ Hebrææ quoque linguæ sibi peritiâ acquisierant. Non tamen & illæ videntur alias erudiisse: tantùm abest ut scholæ virginum in Monasteriis illis fuerint habitæ.

Planè Ægyptiis porrò moribus fuerunt illi, qui Augustino florente in Africam Monasticen intulerunt.  
Enim.

Enimvero sanctissimus ille Ecclesie pater libro quem *de Moribus Monachorum* inscripsit non alios depingit, hinc & tanquam operarios alloquitur doctrinaeque nullius homines. Fuerunt autem tunc, repugnantibus multum Donatistis, in Africa exstructa coenobia, Carthagine, Tagaste & Hippone. Solitarios isthuc commigrasse, haud equidem observavi.

De Monasterio quod in Gallia instituerat S. Martinus, agens Sulpitius Severus, aetate suppar, in *Historia vitae S. Martini* c. 7. scribit: *Discipuli octoginta erant qui ad exemplum beati magistri instituebantur.* Verum ne haec quidem institutio doctrinae capessendae infervivit, sed exercitiis asceticis: nam & Martinus non doctrinam polluit sed eximiam sanctitatem. Indicatque idem quod subsequitur. *Nemo ibi quidquam proprium habebat. Omnia in medio conferebantur. Non emere aut vendere (ut plarisque Monachis moris est) quidquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor aetas deputabatur, majores orationi vacabant.* Non adducam reliqua, quia & ipsa nihil sunt nisi *ἀσκητικά*. Obiter meretur observari: S. Martini coenobium ab Aegyptiis saltim in eo abiisse, quod hic ars nulla exerceretur, nec artefacta venderentur aut emerentur: utrumque autem apud Aegyptios obtinuerit: quo, ipso, ut & mendicitate, data fuit occasio clanculum ditescendi.

De Lerinensi porro insulata quidem *l. de laude Eremiti* loquitur Eucherius. *Hac nunc habet sanctos senes illos, qui divisis cellulis Aegyptios patres Gallis nostris intulerunt.* Nequaquam tamen illa Insula observavit omnia Aegyptiorum Monachorum instituta, etsi cellulis & ibi fuerint distincti sancti senes. Complures enim Insula isthac dedit literatos viros & Ecclesiis docendis regendisque aptos: Aegyptus, etsi tot agminibus stipata, vix unum, Neque quisquam ibi manu  
victum

victum sibi artes excolendo legitur comparasse. Itaque vel hinc discere est, in Lerinensi insula Sacris studiis fuisse litatum. Quod ipsum ea quæ in Dissertatione adduximus verbâ Eucherii itidem liquidò ostendunt. Fugit nunc tamen nos discendi docendique ibi observata ratio. Quamquam scholas multitudine discipulorum frequentatas ibi non fuisse, & qui inclaruerunt suam eruditionem attulisse isthuc potiùs, sic satis sit manifestum.

Quoniam porrò de reliquis Stœchadibus insulis, aliisque Galliæ monasteriis jam tunc temporis conditis, nihil tale prædicatur quod de Lerinensi, argumento id est, iis in locis longè tum minorem, si modò ullam, fuisse doctrinæ culturam. Etiam hoc verò meretur observari: omnes illos ex Lerinensi monasterio profectos olim viros doctrina aliqua insignes, intra seculum quintum quasi concludi. Nec verò, etsi nunc quoque in Insula isthac superfit Monachorum aliqua *ἀσκησις*, tanto spacio quisquam ibi vixit aut inde prodiit, illis quos laudavimus par doctrina. Ut haud injuriâ dixeris, cum seculo Christiano illo quinto præscam doctrinæ laudem, ut pene etiam alibi, per Galliam defecisse. Operæ tamen fuerit pretium aliquod legisse librum, quem titulo *Chronologia Sanctorum & aliorum virorum illustrium ac Abbatum Sacra Insula Lerinensis*, Lugduni anno seculi hujus tertio decimo edidit Dominus Vincentius Baralis Salerna Monachus Lerinensis.

## SUPPLEMENTVM XXX.

Ad pag. LXV.

Sunt qui perhibeant, seculo jam tum quarto penetrasse in Sitaliam Monasticam vivendi rationem, seculo saltim quinto passim & ibi & in Sicilia complures vixisse Ascetas. Quibus equidem haud refragabor, etsi perquam obscura sit

sit eorum memoria: idque quandoquidem Ægyptiaca instituta indubie etiam ibi obtinuerunt, nihil certè fecerint ad doctrinæ aliquem cultum. Sexto itaque demum seculo possit videri laus illa deberi: & quidem primo omnium S. Benedicto, cujus Regula Monastica deinceps præ aliis passim placuit. Quapropter etiam nos in Dissertatione Benedictum illum ejusque Regulam hoc nomine laudantes, aliis illum omnibus prætulimus. Quam secuti tamen sententiam tunc sumus, de doctrinæ per Benedictum ejusque sectatores propagatione, illam, licet in vulgo sit recepta, tamen profiteri amplius non audemus. In planè alia scilicet nos jam ducit, *Primum* ipsiusmet Benedicti ejusque discipulorum historia, *Secundo* Regula ejus monastica, & *Tertio* altum de Benedictinorum Monachorum eruditione, per sextum septimum & octavum secula, silentium.

I.

Enimvero ex Gregorii Papæ dialogo secundo, de ipso Benedicto Antoninus *parte secunda Summæ Historialis tit. XV. cap. XIII* ita scribit: *Qui nobiliore genere ex provinciâ Nursiæ ortus Roma liberalibus literarum studiis traditus à parentibus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat pedem retraxit: ne si quid de ejus scientia attingeret, ipse quoque postmodum in immane precipitium totus iret. Despectis itaque literarum studiis, relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conversationis habitum quaesivit. Recepit igitur scienter nescius & sapienter indoctus. Quæ utique indicant aversum à liberalibus studiis Benedicti affectum. Igitur quod §. 2 idem scribit: Caperunt tunc ad eum Romani Nobiles & Religiosi concurrere, suosque filios ei omnipotenti Deo nutriendos dare; Tunc quoque bonæ spei suas soboles Equitius Maurum, Tertullius vero Patricius Placidum tradidit: Illud, inquam, non nisi de educatione ad vitæ sanctimoniam accipi-*

M m

endum



endum est, secus quam nostra habet Dissertatio. In iisdem verò non autem aliis exercitiis vixisse cum Placidum tum Maurum, qui Benedicti discipulorum laudantur potissimi, ex iis quæ narrat Antoninus *decimoquarto capite* itidem est manifestum. Nec verò aliò spectavit illa à Mauro instituta Francicæ juventutis educatio: quam nos itidem de studiis doctrinarum perperam fuimus interpretati.

II. Jam porrò *Regula Monastica Benedicti* ne verbulo quidem agit, de studiis doctrinæ sive secularis sive etiam sacre excolendis. Imo Regulæ ejus argumenti veteres omnes, quæ quidem ante seculum Christi nonum conscriptæ sunt, ne S. Basili quidem excepta, de literarum vel sacris studiis habent nihil. Liquidò sanè illud apparet ex Codice Regularum, collecto Ludovici Pii atate à Benedicto Anianensi Abbate, qui curâ Lucæ Holstenii Romæ in lucem prodiit anno seculi hujus sexagesimo primo, & quarto post recusus est Parisiis.

Dissertatio mea aliud quidem conata est persuadere libris Divinarum humanarumq; Institutionum aut Læctionum Cassiodori. Et vero illos voluit esse Cassiodorus Monachis suis Vivariensibus pro manu ductione ad divina & humana studia: merenturque pro captu illius temporis laudem eximiam. Sed Vivariense illud Monasterium saltim tunc temporis non fuit ex Benedicti instituto: sed plane diversum. Eoque etsi tunc etiam Benedictus vixerit, hujus tamen Cassiodorus nusquam meminit. Ex Cassiodori itaque potius mente profluxerunt illius Monasterii instituta, non ex Benedicti. Imò cum Benedicti disciplina sensim obtinuerit, videtur hoc ipso Cassiodori perisse institutum, & loco eruditionis sacrarum ac secularium literarum, quam Cassiodorus laudabili conatu voluit propagari,

pagari, ruditatem & inscitiam quandam sacram inter Benedicti sectatores passim tunc invaluisse.

Quod *Tertium* attinet, haud me fugit quid jaſtitent nonnulli, simul verò & quàm vana ſit illorum gloriatio. Adducam nunc duntaxat ex elegantiffimo libello Gabrielis Naudæi, ami. i quondam mei, viri ingenio judicio & multa leſione præpollentis clariffimiq; , cui titulus *Cauſæ Kempenſis conjeſtio*, nonnulla utramq; in partem ſcripta. Pagina ſcilicet 155 adducuntur Conſtantini Cajetani Benedictini magnæ famæ Abbatis hæc de vetuſtiſſimis Benedictinis verba. Verùm non tanti ducimus Eccleſiam caducis & ruituris parietibus circumdediſſe, quanti facimus, illam æternis & in omne ævum manſuris operibus illuſtraſſe. Mitto nunc Dionyſium Exiguum, Aratorem Romanum, Ennodium Ticinensem, & Aurelium Caſiodorum, Romana Eccleſiæ Academiæ Lateranenſis & Vaticana, ſeu Cantorum ſchola magiſtros. Mitto nunc Magnum Gregorium, Iſidorum, Ildeſonſum, Bedam, Damascenum, Alcuinum &c. Sed paulo poſt Naudæus adjicit ex libro *Vindictarum Kempenſium* hæc Simonis Werlini. Dionyſium ſub regula Benedicti fuiſſe, nullum argumentum eſt quod me cogas credere. De Aratore omnia alia me docet elegantiarum Pater Jacobus Sirmondus ad Ennodii librum nonum ex codice Remenſi Monachorum S. Remigii, in quo librorum Aratoris exordium legitur: quo licet exprimat quid ante clericatum Arator fuerit, monachiſmus tamen taceatur. Ennodium verò quomodo audez hic monachum facere, cum ipſe in Euchariſtico de vita ſua non ſolum toro capite ſed manibus etiam pedibusq; abnuat? De Caſiodoro æquè fallimini: qui de ſuo monaſterio Vivarienſi agens *Divinar. Inſtit. c. 32* nunquam meminit S. Benedicti, ſed Abbatum Gerontii & Chalcedonii. Gregorium Magnum fuiſſe Benedictinum conatus eſt probare Cajetanus libro juſte

III.

*magnitudinis, sed absq; justis rationibus. Isidorus Hispalensis habuit regulam propriam, non sancti Benedicti. De Ildefonso eadem fermè est ratio. Sed in Damasceno magis desipit, quisquis eum facit Benedictinum. Hactenus ille.*

Quibus hæc tamen nos addimus. Beda fuit quidem monachus sed quo tempore in Britannia Benedicti Regula nondum invaluerat. Par est ratio Alcuini Angli: modò ille fuerit Monachus, nec enim vel hoc certò constat. Isidorum Hispalensem aliquando Monachum egisse, non memoravit Mariana *l. 6. R. Hispan. c. 7.* ubi diligenter Isidori res persequitur. Hoc tamen habet hîc non dissimulandum. *Susceptam Ecclesiam cum optimis legibus atq; institutis temperavit, tum inanem omnem curam esse, nisi à primis annis cere instar ad omnem pietatis partem pueri formarentur, intelligens, collegium Hispali constituendum curavit ad juventutem literis & sapientia studiis imbuendam. Vnde tanquam ex arce sapientie plurimi prodierunt morum probitate & doctrina insignes. In his Ildefonsus & Braulius. Illustrantur autem hæc ab iis quæ idem Mariana de Ildefonso refert *l. VI. cap. X.* Gregorium porrò Magnum, non Benedicti sed S. Equitii sub Græco S. Basilii instituto monachum fuisse, multis jam vicerat argumentis in Annalibus Baronius. Cui opposuit quidem sua Cajetanus, sed reperit mox adversarium doctum, Antonium Gallonium Congregationis Oratorii Presbyterum: qui librum *Apologeticum* edidit, *pro assertis in Annalibus Ecclesie de monachatu S. Gregorii Papæ.* Fuit scilicet Cajetanus ille ad insaniam usque Benedictinorum laudis studiosus: atq; hinc vi facta quam plures tantùm non obtorto collo in Ordinem illum pertraxit. Id quod etiam de S. Columbano Abbate *pag. 143. & pag. 132.* de Amalario Fortunato, rectè monuit, idem ille nunquam sine præconio mihi memorandus Naudæus.*

Cæterum

CÆTERVM seculo Christiano nono longè melior  
cæpit esse ratio eruditionis, in nonnullis saltim S. Benedicti  
disciplinam professis Monasteriis. Quam rem persequemur  
commodiùs ad paginam LXV Supplemento xxxii.

## SVPPLEMENTVM XXXI.

Ad pag. LXIV.

Quod Dissertatio habet: *neminem fere in Occidentalis Ec-  
clesia toto orbe nomen aliquod scripto libro obtinuisse, qui non  
in Monasterio educatus sit atq; institutus*: illud hodie neuti-  
quam dixerim: imò scriptorum neminem censeo ibi fuisse  
vel educatum vel institutum. Quantumvis enim quidam  
illorum ad Monasticam vitam animum appulerint, extra  
monasterium tamen qui quid in iis fuit eruditionis hau-  
serunt. Nisi fortè in sola Hibernia aut Britannia.

Displicet etiam quod diximus: *Scotos monachos à Romanis  
meliozem culturam aliqua ex parte accepisse*. De Bri-  
tannis nonnullis verum est tamen.

Displicet porro: *præter Monachorum scholas nullam in Occi-  
dentali orbe fuisse Philosophiæ aut Philologiæ aut Christianæ  
doctrinæ cathedram*: præsertim quoniam fortasse nulla  
fuerit Schola ejusmodi monastica, & de Schola ab  
Isidoro circa Ecclesiam Hispalensem excitata aliud  
jam proximè docuerimus. Verum tamen & Hispalen-  
se illud Isidori institutum per irruptiones Sarraceni-  
cas non multò pòst interijt.

Displicet denique, quod nullam fecerim Hiberniæ Mo-  
nasteriorum mentionem: quum tamen ipsismet ejus  
ævi Britannicis forte mereantur præferri. Igitur de  
iis nunc aliquid est narrandum.

Et verò pridem ante Anglo-Saxones literarum meliorum  
aliquis apud HIBERNOS fuit cultus. Certè seculo adhuc  
octavo Angli soliti sunt Hiberniam petere doctrinæ gratia.

Non dissimulavit hoc ipsemet Britannicarum rerum peritissimus studiosissimusque Cambdenus, licet Anglus. Vnde in descriptione Hiberniæ sic loquutus est. *Anglo-Saxones nostri illa ætate in Hyberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam undiq; confluerunt. Vnde de viris sanctis in nostris scriptoribus legitur: Amandatus est ad disciplinam in Hiberniam: Et in Sulgeri vita, qui ante sexcentos annos floruit:*

*Exemplo patrum, commotus amore legendi,  
Ivit ad Hibernos Sophiâ, mirabile, claros.*

*Indeq; nostrates Saxones rationem formandi literas accepisse, videantur: cum plane charactere usi fuerint, qui hodieq; Hibernicis est in usu. Hæc Cambdenus. Quibus non possumus non addere, ante omnia versiculos illos reliquos quos Autor vetus vitæ Sulgeri habet.*

*Qui postquam nablam primò tener edidit infans,  
Perlustrat scholas studio florente Britannas.  
At crescente simul ardore & tempore multo,  
Exemplo patrum commotus amore legendi,  
Ivit ad Hibernos, Sophiâ, mirabile, claros.*

Hinc sanè liquet, illâ tempestate Britannia quidem suas fuisse scholas, sed aptas magis primæ ætati: in Hibernia autem doceri & Philosophiam solere. Confirmat hoc ipsum fortiter etiam illud, quod ad Carolum Calvum scripsit præfatione Vita & Germani Ericus Autisiodorensis. *Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi discrimine, penè totam cum grege Philosophorum ad littora nostram migrantem? Quid? quod etiam is qui apud Carolum Calvum magnâ valuit auctoritate Joannes, Scotus vulgo aut Erigena dictus, patriâ fuerit Hibernus, & pro seculi captu Philosophiæ peritus. Rectè scilicet Jacobus Usserus Hiberniæ Archiepiscopus Armacanus, Vir doctissimus, in Historia Gottheschalci cap 9. agens de Joannis*

Joannis hujus sententia de Prædestinatione, scribit. *Cum Hibernia nostra indigenis Eri & Erin appelletur, ac doctis notum sit, eandem esse veterem Scotiam & Hiberniam, Joannem ab aliis Scotum sive (ut eum nominat ipsius οὐχέγ & Anastasius Bibliothecarius) Scotigenam, à seipso Erigenam sive Eringenam eodem prorsus sensu fuisse dictum, verò mihi semper visum fuit esse simillimum.* Joannem illum autem Philosophiæ sese peritiâ saltim jactitasse, liqueat velex uno alteroque Capitulo libri ab ipso de Prædestinatione conscripti. Recensuit illa idem Usserus; estq; eorum primum hoc: *Quadrivio regularum totius Philosophiæ quatuor, omnem questionem solvi.* Decimum octavum hoc: *Errorum Prædestinationis ex disciplinarum ignorantia (quas ipsa Sapientia suas comites investigatricesq; fieri voluit) & Græcarum literarum inscitia ortum.* Infra de illo Joanne erit denuo agendum: sufficit nunc illius exemplo demonstrasse, Hiberniam seculo etiam nono habuisse suas Philosophiæ scholas.

Indubiè verò & Sacræ literæ in Hiberniâ illis seculis suos habuerunt magistros, cum plurimi ex Hiberniâ tunc prodiierint prædicandi Evangelii in Gallia & Germania gratiâ, Monachi non docti minus quàm sancti. Difertè verò idem affirmat Alcuinus in *vita S. Villibrordi*. Viguisse enim tradit in Hibernia *Scholasticam eruditionem*, eamque addiscendæ causa, S. Egbertum S. Wicbertum S. Wilgisiū aliosq; Anglos isthuc commigrasse, & evasisse doctissimos. Addebat. *Horum beatus adolescens Villibrordus amulari cupiens religionem, in Hiberniam veloci cursu conscendit, ibiq; duodecim annos, inter eximios piæ religionis & sacræ lectionis magistros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur.* Idem Alcuinus *lib. eodem carmine primo, de S. Wilibrordo* ita canit.

Venerat

*Venerat occiduis quidam de finibus orbis &c  
Quem tibi jam genuit fœcunda Britannia mater,  
Doctaq; nutritiis Studiis sed Hibernia Sacris,*

Idem in Elegiade S. Willigiso,

*Vt audum cecini, fœcunda Britannia mater,  
Patria Scotorum clara magistra fuit*

Scotorum enim nomine Hiberni intelliguntur.

Quinimò antè Alcuinum ipse Beda Historiæ Anglo-  
rum l. 3. cap. 27 ita scripserat. Erant eo tempore (anno Christi  
664, in Hibernia) multi nobilium simul & mediocrium de  
gente Anglorum, qui tempore Finani & Colmani Episcoporum, re-  
lictâ insula patria, vel diuinæ lectionis vel continentioris vite  
gratiâ illo secesserant. Et quidam quidem mox se monastica con-  
versationi fideliter mancipaverunt, alii magis circumuendo per  
cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos  
omnes Scoti liberalissimè suscipientes victum eis quotidianum sine  
prezio, libros quoque ad legendum & magisterium gratui-  
tum præberi curabant, Paulò post ibidem laudat Edilhunum,  
qui & ipse evo sequente Hiberniam gratia legendi adierit, & bene  
instructus in patriam redierit. Quæ narratio liquidò prodit,  
tunc temporis in Britannia ne Sacrarum quidem literarum  
studia fuisse culta, sed illa in Hibernia ab ipsis Anglis fu-  
isse petenda. Indubie verò, quoniàm à Scotis sive Hiber-  
nis Monachis illâ tempestate exstructa sunt in Anglis quæ-  
dam monasteria, etiam laudabilis ille mos docendi sal-  
tim Sacram literaturam sensim & ibi introductus est.

Quoniàm ad hunc modum autem habuerint sese tunc  
temporis Scotorum in Hiberniâ Monasteria, manifestum  
est, non tantùm ab Ægyptiorum aliorumque sed etiam à S.  
Benedicti institutis illa multum fuisse diversa, & Ecclesiæ  
Chri.

Christianæ longè utiliora.

Quo primo auctore autem studia doctrinæ in monasteriis illis Hiberniæ ceperint, equidem nescio. Forte tamen exorta sunt statim curâ S. Patricii Brittonis. Qui peragratis Gallia atque Italiâ insulisque Tyrrheni maris, cum juvenis S. Martinum vidisset & S. Germano Autifiodorensi fuisset magistro usus, in Hiberniam prædicandi Evangelii causa anno Christi 431 commigrans, multa ibi monasteria construxit.

Quantos porro Hibernia tunc temporis in doctrinæ studiis fecerit progressus, itidem dicere nequeo. Non magnos fecisse, argumento videtur haud levi illud esse, quod haud temerè scriptum aliquod doctum, quinto, sexto, septimo, & octavo seculis in Hibernia quisquam elaboraverit, cujus quidem nunc superfit memoria. Erravit enim Bellarminus *l. de Scriptorib. Ecclesiast.* Aldhelmum scribens seculo octavo Episcopum egisse in Scotia: cum ipsemet testis ejus Beda *l. V. c. 10.* cum faciat Antistitem Saxonum Occidentalem. Accedit, quod ex Hibernia in exteras etiam regiones (verba sunt S. Bernhardi in Vitæ Malachiæ Archiepiscopi historia) quasi inundatione factâ sanctorum agmina se effuderint: illorum tamen nemo singulari eruditionis laude eminuerit. Probamus nihilominus id quod Cambelerius scribit. *Patricii discipuli tantos progressus in re Christiana fecerunt, ut subsequenti ætate Hibernia sanctorum patria diceretur, & Scotis in Hibernia & Britannia monachis nihil sanctius nihil eruditius fuerit: & in universam Europam sanctissimorum virorum examina miserint: quibus Luxovium Burgundia, Bobiense Italia, Herbipolis Franconia, S. Gallus Helvetia, Malmisburia Lindisfordiæ, & quamplurima alia in Britannia, Monasteria originem suam debent. Ex Hibernia enim fuerunt Cælius Scdulus Presbyter, Columba, Columbanus, Colmannus, Aidanus, Gallus, Kilarus,*

Na

Assidul



*Maidulphus, Brendanus, & alii plures sanctitate & doctrina inclysi. Hæc ille, & quidem recte. Nisi quod ex numero discipulorum Patricii sit eximendus Sedulius, Presbyter quidem Scotus sive Hibernus, saltem Patricio tamen nonnihil vetustior, si Tritthemio credimus, imò S. Hieronymo æqualis si aliis. Non enim sequemur Sigebertum Gemblacensem qui ætatem ejus refert in tempora Constantii Imperatoris, quia hunc refellit Explanatio Epistolarum Paulinarum Sedulii ex Origine Ambrosio Hieronymo & Augustino excerpta.*

Quantumvis vero ex Hibernia ad ANGLORVM gentes studia quasi per coloniam deducta sint, attamen etiam aliunde sensim in nonnullas Britannia partes illa penetraverunt. Etenim Româ in Britanniam venit anno Christi 668 Theodorus Monachus Romanus, *natus* (ut Beda loquitur l. 4. c. 1.) *ex Tarso Cilicia, vir & Seculari & Divina litteratura Græce & Latine instructus*, (Zacharias Papa in Epistola ad Bonifacium Moguntinum 140 scribit, eum fuisse *Græco Latinum Philosophum & Athenis eruditum*, satis ridicule) *factus Archiepiscopus Cantuariensis.* De illo ejusque Socio Adriano idem Beda cap. 2 ita scribit. *Is primus erat in Archiepiscopis, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare (in celebrando Paschate) consentiret. Et quia literis Sacris simul & Secularibus, ut diximus, abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientia salutaris quotidie flumina in eorum cordibus emanabant. Ita ut etiam, Metrica artis, Astronomica, & Arithmetica Ecclesiastica disciplinam, inter Sacrorum apicum volumina, suis auditoribus contradere. Indicium est, quod usq; hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam Græcamq; linguam, æquè ut propriam in qua nati sunt, norunt. Neq; unquam prorsus, ex quo Britanniam perierunt Angli, feliciora fuisse tempora; dum & fortissimos Christianos habentes Reges cunctis barbaris nationibus essent terrores, & omnium vota ad nuper audita*

ditæ cælestis regni gaudia penderent: & quicumq; lectionibus sacris  
cuperent erudiri haberent in promptu magistros qui docerent. Sed  
& sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum nove-  
rant, ab hoc tempore per omnes Ecclesias discere cæperunt. Ad-  
fert idem Beda l. V. cap. VII nonnulla ex epicedio, ut Beda  
ait *versibus heroicis* revera autem *elegiacis*, jam defuncto illi  
Theodoro scripta: ubi dicitur.

*Limpida discipulis dogmata differuit.*

Cap. sequenti de successore illius Theodori, qui obiit anno  
690, Berechtwaldo ait: *Vir & ipse scientiâ Scripturarum imbu-  
tus, & Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summè in-  
structus, ætate prædecessori suo minime comparandus.* Paulò item  
pòst. Inter multos quos ordinavit Antistites, etiam Gebmundo Rho-  
fensis Ecclesiæ Præsule defuncto, Tobiam pro illo consecravit, virum  
Latina Græca & Saxonica lingua atq; eruditione multiplici in-  
structum. Capite etiam XXI Adrianum Theodori socium  
& Coadjutorem defunctum lugens, scribit: *Cujus doctrine  
simul & Theodori inter alia testimonium perhibet, quod Albinus  
discipulus ejus, qui Monasterio ipsius in regimine successit, in tan-  
tùm studio Scripturarum institutus est, ut Græcam quidem lin-  
guam non parva ex parte, Latinam vero non minùs quam Anglo-  
rum, quæ sibi naturalis est, noverit.* Capite ejusdem libri XXIV  
five ultimo hæc habet. *Annò proximo (h. e. Christi septin-  
gentesimo vicelimo octavo) Tobias Rhofensis Ecclesiæ Præsul  
defunctus est, ut supra meminimus doctissimus. Erat enim disci-  
pulus beatæ memoriæ magistrorum Theodorici Archiepiscopi &  
Abbatis Adriani. Vnde cum eruitione literarum vel Ecclesiasti-  
carum vel Secularium ita Græcam quoq; cum Latina didicit lin-  
guam, ut tam notas & familiares sibi eas, quàm natiuitatis suæ  
loquelam haberet.* Epilogo postremò n illius sui operis hi-  
storici de semetipso scribit: *Cam essem annorum septem cura  
propinquorum datus educandus sum reverendissimo Abbati Be-  
nedicto,*

nedicto, ac deinde Celfrido: cunctumq; ex eo tempus vite in eju-  
dem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scriptu-  
ris operam dedi: atq; inter observantiam disciplina regularis &  
quotidianam cantandi curam in Ecclesia, semper aut discere aut  
docere, aut scribere, dulce habui. Enumerat denique eo lo-  
co Beda triginta septem à se conscripta ab anno usque  
ætatis tricesimo ad quinquagesimum nonum volumina.  
Obiit autem Beda in monasterio quod est ad Witemudam  
annem, anno Christi septingentesimo tricesimo quarto,  
ut habet Continuatio Historiæ cap. 6. Ex cuius cap. 7. discere  
est, à Beda etiam habitam in Monasterio isthoc scholam  
insignem. Ultimi enim morbi mortisque historiam enar-  
rans subdit. *Aegrotans non tamen liberalium studiorum reje-  
cit operam. Totis enim diebus, præter debitum Psalmodia pensum,  
assiduis ad discipulos lectionibus, nominandisq; & absolvendis  
questionum difficultatibus, gravedinem valetudinis decipere su-  
spensa interim cogitatione vivebatur. Evangelium quoq; Joannis  
his diebus lingua interpretatus Anglicâ, condescendit minus inbu-  
tis Latinâ. Subindeq; monebat discipulos, dicens: Discite filioli,  
dum vobiscum sum, nescio enim quamdiu subsistam.*

Ex iis fanè narrationibus liquet: ad Anglos primò  
omnium ex Hibernia, seriùs verò etiam Româ erudi-  
tionis Sacræ pariter atque Secularis studia pervenisse,  
& quidem seculo denique Christiano septimo: insignes  
præterea ibi scholas viguisse, partim in nonnullis Mona-  
steriis, idque exemplo potissimùm Hibernorum, par-  
tim verò & circa Ecclesias Cantuariensem cum primis &  
Roffensem. Jam defuncto autem Bedâ, Episcopus quo-  
que Eboracensis Egbertus, qui floruit anno Salutis septin-  
gentesimo quadragesimo, in propagationem doctrinæ,  
laudabili studio incubuit, structa ibi insigni Bibliotheca.  
Hinc de illo Wilhelmus Malmesburiensis: *Omnium libe-  
ralium*

ralium artium armorum, ut ita dicam & sacrarium, nobilissimam Bibliothecam Eboraci constituit. Hinc etiam Albinus Alcuinus in epistolâ ad Carolum Magnum. *Date mihi exquisitiores eruditionis scholastica libellos, quales in patria habui per bonam & devotissimam Egberti Archiepiscopi industriam.* Albinus autem is est, cujus consilio Carolus Magnus deinceps usus, in Regno Francorum eruditionis studia exfufcitavit: quâ de re plenius jam dissertatum est.

Quamquam verò in eum quem narravimus modum in Angliâ floruerit ex spissa barbarie doctrina, non tamen promiscuè omnium, quamvis monachorum vel cleri Anglicani, ulla virtus hîc fuit. Enim vero ipsemet Beda l. 4. c. 2. *Expositionis allegoricæ in Samuelem ita scribit. Videat lector, nec sine lacrymis rem lacrymis dignam contempletur, quantum Ecclesiæ status ad pejora quotidie, vel, ut mihi dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.* Addit quidem; *etiam tunc existere perfectos in fide & veritate: videre se tamen fatetur, maxima in parte instare tempora jam olim prædicta.* Raritatem bonorum satis liquidò demonstrant pauca ex illo ævo reliqua eruditionis monumenta. Sed & vel ipsi illi qui Evangelii facem in Germania accenderunt Angli tenui fuerunt doctrina: ne Bonifacio quidem excepto, etsi zelum hujus meritò laudaveris. Emicuit etiam porrò quidem eruditio Monachorum Anglicorum præ omnibus, non tantum illius sed præcedentis etiam cujuscunque ævi, aut cujuscunque gentis. Quis sanè Monachorum vel illius vel antecessi temporis (Hieronymum semper excipio) in ulla orbis parte meretur cum Bedâ comparari, aut etiam cum Alcuino? Paucis imò Monachorum etiam aliquot post seculis, datum est ad illud Bedæ fastigium adscendisse. Philosophiæ tamen & Liberalium artium non nisi rudior

quædam peritia, etiam in ipsomet Bedâ effulsit. Longissimo utique intervallo illam Veteres, Græci cum primis ut & Latini, imo post & Arabes, superaverunt. Divinarum idem Scripturarum cognatione satis eximiâ quidem polluit Beda, & quidem supra seculi captum & morem. Etiam ita tamen inferior fuit saltem Hieronymo & Augustino, ut alios nunc taceam: quamvis major plurimis post secutis cum Latinis tum Græcis.

Extincta vero & illa qualiscunque Anglorum ejus tempestatis gloria est paulo post, crudelibus Danorum aliorumque Septentrionalium populorum déprædationibus & vastationibus. Ut demum aliquot post seculis, sub Normannicæ familiæ regibus, potuerit iterum scintillam aliquam spargere. De illa clade fortassis haud abs re fuerit saltem unicum Matthæum Westmonasteriensem audire, qui in Chronico ad annum octingentesimum tricellimum nonum ita loquitur. *Nunc ad plagam maximam & horribilem peruenimus, que peccatis exigentibus per Danos Angligenis nationibus illata est. Liber ejusdem cladis causam ad cautelam futurorum breviter legentibus intimare. In Anglorum quidem ecclesiâ primitivâ religio clarissime respendit. Processu vero temporis adeo in eis omnis virtus emicuit, ut nulla gens prodicione vel fraude eis consimilis videretur. Nec erat eis invisum aliquid nisi pietas & justitia, nec honor nisi bella plus quam civilia, & sanguinis innocentium effusio. Misit ergo eis Deus omnipotens gentes paganas crudelissimas, velut apum examina, que ne quidem jexui muliebri, aut parvulorum parcerent ætati. Danos scilicet & Norwegenses, Gothos & Sveethedos, Vandalos & Fresas (intelligit vero Venedos & Frisios in Cimbrica Chersoneso habitantes) qui ab exordio Regis Aethelulfi usque ad Nordmannorum adventum, per annos ferme CCXXX, terram hanc peccatricem*

tricem à mari usq; ad mare, & ab homine usq; ad pecus, deleverunt. Siquidem Angliam crebrò & undiq; invadentes, non subjugare ac possidere, sed prædari ac perdere satagebant. Qui si aliquando vincerentur, nihil tamen proficiebant Angli, quum alibi classis major & exercitus ex improvise & subito adveniret.

Hæc omnia Westmonasteriensis. Exceperat autem præcè hanc Angliæ vastationem Danicam (nam interea temporis Sueno, Cnuto, Haraldus & Hardecnuto Dani Reges Angliam aliquamdiu totam occupaverunt) alia ex Gallia Normanniâ, cæso Haraldo ultimo Angliæ stirpis Rege anno Christi c10 LXVI, à Wilhelmo, qui hac de causa Conquæstor solet audire. Periisse autem jam tunc per Danicas aliasque irruptiones omnem præscam in Anglia eruditionem luculentus est testis Guillelmus Malme-buriensis Conquæstoris ævo proximus. l. 3. *Literarum*, inquit ille, & *religionis studia obsoleverant, non paucis ante adventum Normannorum annis. Clerici literaturâ tumultuariâ contenti vix Sacramentorum verba balbutiebant: stupori & miraculo erat cæteris, qui Grammaticam nosset.* Claudemus hoc Supplementum verbis illius Auctoris qui circa seculi undecimi initium Continuationem Historiæ Bedæ conscripsit. Obitum ille Bedæ enarrans l. 1. c. 8. ita ait. *Sepulta est cum eo (Bedâ scilicet) pene omnis græcorum noticia ad nostra tempora. Adeo nullus Anglorum studiorum ejus amulus, nullus gloriarum sequax fuit, qui omisse monere lineam persequeretur. Pauci quos aquus amavit Jesus, quamvis litteris non ignobiliter informati, tota vita ingratum consumserunt silentium. Alii vix primis labris illas gustantes, ignavum confoverunt oclum. Ita cum pigro semper succederet pigrior, multo tempore studiorum in tota insula repuit fervor. Magnum ignavia testimonium dabunt versus epitaphii, pudendi prorsus, & tanti viri mausoleo indigni.*

Presby-

*Presbyter hic Beda requiescit, carne sepultus.*

*Dona Christe animam in cælis gaudere per avum:*

*Daque illum Sophia de ebriari fonte, cui jam*

*Suspiravit orans intento semper amore.*

*Poteritne ulla excusatione hic pudor extenuari, ut nec in eo Monasterio, ubi illo vivente totius litteraturæ exultabat gymnasium, potuerit inveniri homo, qui memoriam ejus formaret, nisi exili & miserabili stilo?*

## SUPPLEMENTVM XXXII.

Ad pag. LXV.

**P**ERPERAM docuimus, meliorem literaturæ culturam quæ cæpit sub Carolo Magno in Francorum imperio, deberi Monasteriorum majori multitudini. Vera enim causa ejus fuit illud, quod primus Carolus constituerit, in Monasteriis omnibus scholas habendas esse, quodq; eâ in parte nonnulla Monasteria composuerint sese ad laudabile exemplum optimorum quorumque Monasteriorum Angliæ & Hiberniæ.

Et verò ante Carolum nulla fortasse fuit, in Franciæ quidem regni quamvis amplissimi monasteriis, schola ulla. Imò verò Bonifacio, quem Legatum Romani Pontifices constituerant, curante, Monasteria universa jussa sunt in vita & moribus Regulam Benedicti observare, etiam si antehac aliis institutis vixissent. Illa autem Regula ad scholas habendas neutiquam fuit composita: ceu jam tum ante demonstravimus. In Synodo nempe Franciæ quam anno DCCLII Dux Austrasiæ Carolomannus coëgerat, constitutum est: *Vt Monachi & ancille Dei Monasteriales, juxta regulam S. Benedicti ordinatè vivere studeant, & vitam propriam gubernare, secundum prædicti Patris ordinationem, non negligant.* Eodem porrò anno, in Synodo Liptinensi, *Abbatès & Monachi*

nachi receperunt regulam S. patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vite. Ut dilertè scribitur in Capitularibus Ansegisi l. V. cap. 3. sicut illa quam retulimus constitutio habetur capitulo 2.

In novis porrò constituendis per Germaniam Cœnobiiis, Bonifacium non spectasse propagationem doctrinæ sive sacre sive alterius cujusque, vel ex verbis Rudolphi, quibus *capite X. historia vite S. Liobæ* apud Surium ad diem xxix Septembris, usus ille est, liquidò apparet. *Viaens vir beatissimus Bonifacius, Ecclesiam Dei crescere, & certantibus studiis ad vota perfectionis accendi, duplicem viam ad profectum religionis instituens, Monasteria construere cepit: ut ad fidem catholicam populi non tam Ecclesiasticâ gratiâ quam Monachorum & Virginum congregationibus raperentur.* Imò verò nova à Bonifacio condita Monasteria, sicut ad nominam Benedictinam, ita ad studia literarum propaganda planè idonea, fuerunt composita. Duodecim feruntur Bonifacio in Germania originem suam debere, & præcipuum horum esse Fuldense. At verò de illo Bonifacius ad Zachariam Papam in hæc verba scripsit, eâ epistolâ, quæ in volumine quod Epistolarum S. Bonifacii titulo mendosissimè edidit Nicolaus Serrarius, est centesima quadragesima prima. *Est locus sylvaticus in eremo vastissima solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ in quo Monasterium construentes, monachos constituimus sub regula S. Patris Benedicti viventes: viros strictæ abstinentiæ, absq; carne & vino, absq; sicera & servis, proprio manuum suarum labore contentos. Quæ ratio vivendi literis sive discendis sive docendis non utique est apta. Quod de Bonifacio nemo mirabitur, qui vel inspexit duntaxat Epistolas Bonifacianas, nihil sapientes vel sacre eruditionis; tantùm abest, ut quidquam in illo viro cæteroquin*



teroquinpio, laudem mereatur eruditionis secularis. Ea propter illud etiam, quod nos Kirchnero credentes scripsimus pag. 193, quasi jam *Sturmo Abbate una Fulda triginta doctores artium linguarumq; & sexcentos genere claros discipulos aluerit*, non dubitamus nunc fabulis accensere. Et verò in *Vita S. Liobæ* apud Surium die xxix Septembris, jam paulò ante adductâ, testatur Rudolphus: Bonifacium mandasse Lullo successori suo Moguntino, *de Monasterio Fuldensi, quod auctoritate Zachariæ & favore Carolomanni Regis (rectius Ducis) Austrasiæ in vastissima solitudine saltus Boconia ipse construxerat: ut quia Monachi locum illum inhabitantes pauperes erant (iis vero tum præerat Sturmo Abbas) & necdum alia haberent servitia, sed solo manuum suarum labore victitabant, ædificium fundata tum ibi Ecclesiæ ad perfectionis terminum deduceret.* Ne quidem autem Rothario Abbate tertio primum vivendi genus desisse, liquet ex libello supplice Monachorum Fuldensium ad Carolum Magnum, contra Abbatem illum suum: *ut ædificia immensa atq; superflua & cætera inutilia opera omitteret, quibus Fratres accideret ultra modum fatigari, & famulos foris dissipare.* Indicant enim hæc verba, tunc etiam Monachos in ædium structuram manibus operam præstitisse.

Quantumvis verò ut Fuldense ita etiam fortassis reliqua ab se constructa Monasteria Bonifacius usque adeo duram voluerit vitam agere: licet vetera etiam quæq; Cœnobia ad regulam Benedicti fuerint revocata; haud videtur tamen rigide illud ipsum fuisse etiam in vetustioribus exactum: præsertim quia jam illo ævo Monachis istorum cœnobiorum esset abunde de vitæ necessariis prospectum, ut haud esset necessum manu sibi victum quærere ex primo Benedicti instituto. Non enim asperitatis hujus ulla in

monib;

monumentis ævi istius apparent vel leuia vestigia: quam abstinentiam ab omni carne cunctis tum cœnobitis fuisse adhuc communem, haud pauca liquidò significant. Hactenus itaque non obfuit illis Monachis alimentorum quærendorum inopia, quo minùs in Cœnobiis & ipsi proficerent & alios instituerent. Attamen nec in illis monasteriis fuerunt ullæ scholæ; imo nulli viri eruditi, etsi morum sanctitas quibusdam haud defuerit. De Augiâ divite quam appellant, memoratur tamen: illam à Carolo Martello ex instituto S. Pyramini ita fuisse institutam, ut (verba sunt Bruschi) tantùm Principes Comites ac Barones illic educarentur ac erudirentur, à prima infantia ad adolescentiæ usq; tempora. Tum enim (ait Bruschius) benè institutis ac liberè educatis integrum ac liberum erat, prodire iterum vel uxores ducere, vel aulas Principum vel militiam sequi. Equitum vero ac civium liberi admittebantur nulli. Erat igitur tantùm Principum ac sublimi stirpe natorum schola ac gymnasium quoddam. Tritthemius l. 1. ad annum Christi 741 tantùm hoc refert de Augiâ illâ. In illa successu temporis multi viri claustrales eruditione & sanctitate vixerunt insignes. De schola magnatum habet nihil. De S. Meinrado tamen in ejus Vita apud Surium mense Januario ita scribitur: Meinradus cum jam eam ætatem attigisset, qua aptari posset literarum studiis, à patre ducitur ad insulam quam veteres Sindelaugiam vocabant Sindelaug. Huc puer jam dictus à patre ductus commendatur viro per omnia honestissimo Erlebaldo monacho. De S. Wolffgango item apud eundem Surium Mense Octobri pag. 991 legitur: *Wolffgengus non contentus scholis trivialibus aut privatis erudiri, patre deducente eò sibi properandum statuit, ubi tum intra Germania fines maximè florento studia literarum. Itaq; ad Augiense monasterium se contulit.*

*sulis.* Verum enimvero de reliquis antiquioribus Cœnobiiis Benedictinis Germaniæ nostræ nihil tale memoratur. Ac proinde non fas est, exemplo hoc uno in universum de omnibus idem pronunciare. Est præterea illis relationibus multum facti admistum: ut non liceat vel illas tuto credere. Utque magnatum liberi alique in Augia fuerint instituti non nihil prima ætate, veræ tamen & solidæ doctrinæ scholam ibi tum fuisse, ne hoc quidem a gumento licet docere. Uno verbo, vetera illa Cœnobia Benedictina nihil momenti ad doctrinæ propagationem attulerunt.

IGITUR verissimum est id quod diximus, à Carolo demum Magno monasticas fuisse scholas institutas, in Francici quidem Imperii regionibus. Libro sanè primo Capitularium Ansegisi *cap 71* ita constitutum est: *Ve schole legentium puerorum fiant: Psalmos, notas, cantus, computum, Grammaticam, per singula monasteria vel Episcopia discant.* Libro v. tit 95, hæc habentur. *Symbolum quod est signaculum fidei, & Orationem Dominicam semper admoneant Sacerdotes populum Christianum. Volumusq; ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejuniis sive in alia castigatione. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholas, sive ad Monasteria, ut fidem Catholicam recte discant, & Orationem Dominicam, ut alios docere valeant. Qui verd aliter non poterit, vel in sua lingua hoc discat.* Hæ duæ Constitutiones sunt ipsiusmet Caroli Magni. Non obscure autem ultima agit duntaxat de scholis puerilibus infimi planè ordinis, indicatque præter ejusmodi generis monasticas fuisse etiam alias. Prior reapte item de puerilibus ludis agit, sed in quibus paulum majora debeant proponi. Neutra tamen constitutio doctrinæ alicujus potioris scholas attinet. Hinc intra illas angustias conclusum est etiam illud Episcoporum institutum

stitutum, cuius fit mentio in Capitularis Ansegisi *Additionum* libro secundo capite. 5. hisce verbis. *Inter nos pari consensu decrevimus, ut unusquisq. Episcoporum in scholis habendis, & ad utilitatem Ecclesie militibus Christi preparandis & educandis abhinc majus studium adhiberet. Et in hoc uniuscujusq. studium volumus probare, ut quando ad provinciale Episcoporum Concilium conveniunt fuerit, unusquisq. Rectorum scholasticos suos eidem concilio adesse faciat, quatenus & ceteris Ecclesiis noverit, & ejus solers studium circa divinum cultum omnibus fiat manifestum.*

Quamquam verò in Capitularibus alibiq; hodie nulla occurat Caroli constitutio de Scholis Sacrae aut Secularis Sapien-  
tiae & liberalium artium majori ordinis, illo tamen auctore, non quidem in omnibus, aliquibus tamen, etiam in Monasteriis studia ejusmodi certum est excoli capta. Enimverò ab illo usque tempore nonnulla etiam Germaniae nostrae Monasteria in studiis ejusmodi fuerunt occupata. Legi hoc loco merentur quae illa de re viri quidam praecleari memoriae prodiderunt. Adferam proinde ex initio superioris seculi Joannis Tritheimii, quo alius nemo majore curam in Studiorum & Monasteriorum fata inquisivit, verba ex Chronico Hirsaugiensi. *His temporibus, ait ille, & diu post, erat haec consuetudo Monachorum Benedictinorum celeberrima, ut schola in singulis penè caenobiis haberentur: quibus non seculares homines, sed Monachi moribus & eruditione praeficiebantur ornatissimi, qui non solum in divinis literis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poesi & in ceteris omnibus secularis literaturae scientiis eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraica Graeca & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile digno-*

dignoscitur: quamquam vitio scriptorum qui à primæva institutio-  
 ne preceptorum paulatim degenerare ceperunt, pauca exem-  
 plaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem  
 idoneum ad hanc subeundam provinciam Abbas minimè habuis-  
 set, de aliquo alio Monasterio petere aptum, non erat verecundum.  
 Maximum autem dedecus iudicabant, dociles Monachorum ani-  
 mos negligere, quos ut moribus & literis benè instituire possent,  
 nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Sic namque doctis-  
 simus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus multo tempore in cœ-  
 nobio S. Vincentii Metensi Monachorum preceptor, quamquam de  
 alio monasterio, fuit. Ita Strabo Monachus Fuldensis in Hirsfel-  
 dia, Norgerus S. Galli in Stabulensi, Albinus Monachus Angli-  
 cus in Fulda, Milo S. Amandi in Corbeia, atq; alii complures in  
 aliis monasteriis docendi ad tempus tenuerunt officium, ubi con-  
 versionis primordia ceperunt. Hæc autem consuetudo sanctissima  
 primum in Anglia capit ubi venerabilis ille Monachus & Presby-  
 ter Beda Monachorum institutor factus, post se multos doctissimos  
 reliquit discipulos. Quantum verò hæc Monachorum institutio  
 Ordini nostro profuerit, nemo ignorat, qui veterum historias stu-  
 diosius revolvit. Multi enim ex Monachis propter scientiam li-  
 terarum incomparabilem ad Episcopatus honorem sunt promoti, qui  
 Ordinem nostrum vita & doctrina mirabiliter illustrarunt. Nam  
 etiamsi studium literarum nihil conferret Ordini, quàm utilem  
 occupationem Monachorum, esset nihilominus maxima veneratio-  
 ne à nobis promovendum. Quia nisi mens hominis claustralis ali-  
 quo exercitio occupetur delectabili, in multas & varias miseria  
 delabitur; quod S. Patres probè intelligentes, lectionem scriptura-  
 rum Monachis omnino voluerunt esse familiarem. Hæcenus Trit-  
 themius. Idem de Dithmaro Abbate Hirsaugiensi in hæc  
 verba scribit. Magna multitudo Monachorum sub ejus regimi-  
 ne in hoc monasterio claruit, quorum aliqui sanctitate vite valde  
 fuerunt

fuerunt insignes, plures autem propter scientiam & doctrinam scripturarum celeberrimi nominis habitusunt. De diversis quoque Benedictinorum Ordinis per Germaniam Monasteriis Monachi ad scientiam scripturarum hauriendam Hirsaugiam mittebantur, quia talis eo tempore consuetudo in Ordine nostro servabatur, ut Monachi pro pleniori eruditione consequenda, si qui viderentur idonei, ad diversa monasteria instruendi mitterentur. Etiam hæc Tritthemius. Qui ibidem, monasteria nonnulla Germaniæ nostræ societate quadam juncta fuisse, ut per gradus alterum alterius discipulos, secundum doctrinæ varias species exciperet, non dubitavit narrare. Quæ tamen hic repetere, non fore pretium operæ duximus.

Tritthemio adjungere æquum est Paulum Langium ejus discipulum sectatoremque, monachum & ipsum Benedictinum, utpote qui in eandem sententiam in Chronico Citicensi disernerit hisce verbis. Priscis temporibus Caroli Magni & Ottonum, dum Ordo noster Ecclesiam Dei mirum in modum doctrinâ & sanctimonia illustraret, studium sapientiæ permaxime in eo viguit. Et hæc unica fuit & maxima causa quod monachi eligebantur in Episcopos. Tunc enim litterarum gymnasia erant in cœnobiis, & potissimum in celebrioribus Archisteriis, Fuldensi videlicet, Hirsfeldensi, Corbejensi, Weiseburgensi, Prumiensi, Tuicensi, Gemblacensi, Hirsaugensi & Treverensi: vacando de Italia, Hispaniæ, Galliæ, cæterarumque provinciarum, præcipue Casinensi, Cluniacensi, Floriacensi, & similibus florentissimis cœnobiis, in quibus Monachi & Abbates claruere in omni scibili doctissimi; qui & multa præclara ad utilitatem legentium & fidei defensionem carmine & prosa ediderunt opuscula, quæ usque in præsens extant, & extabunt in salutem per secula credentium. Nusquam enim eo tempore per Germaniam instituta litterarum fuerant gymnasia, imò & aliquot post seculis Academia, vel (ut

ajunt)

ajunt) *Vniuersitatis nomen illustre in omni pene Occidentis Imperio incompertum fuerat. Præter enim Romanum vetustissimum, & Parisiense tunc novum, utpote Karoli Magni iussu, opitulamine & autoritate per nostros doctores Monachos fundatum, nullum in historiis aliud Vniuersale legitur existisse Studium. Proinde Reges & Principes ceteriq; nobiles, ad discendum Dei ritorem cum literis, liberos suos monachis intra claustra tradiderunt instituendos; quorum plerique manentes sub regula, disciplina magisterio in viros creverunt sanctissimos: alii per parentes revocati, moderatores reipublicæ strenui & prudentissimi facti sunt.*

Tertio loco audiemus Aubertum Miræum antiquitatum sequioris ævi curiosum indagatorem. Cujus l. 2. c. 1. *Origin. Monasticar.* hæc sunt verba *Curam iuventutis informanda Pontificibus haud satis pro dignitate tractantibus, ac verè negligentibus. Viri præ cæteris pietatis studis præstantes, quos Monachos dicimus, & in studium impulsæ iuvandi reipubl. sæpè arripuerunt: divinum se numen promereri eo labore procurationeq; versati, in quo tantum momenti esse videbant. Antiqua, Benedicti orum præsertim, Monasteria schola publicæ erant, ad eruditiorem iuventutem, à Viris sanctissimis constituta. Unde haud levis publicæ utilitas exiit: ipsi magnis divitiis atq; ingenibus creverunt, omnibus certatim pro eorum conatus iuvantibus re, opera, consilio. Ex his Monasteriis, velut ex arce Sapientiæ, innumeri Viri prodierunt, utriusque Philosophiæ cognitione præstantes, divini atq; humane. Tantum & Miræus.*

Nolumus nos his tribus nunc & aliorum eodem de argumento narrationes addere, quia non huc attinet nec institutum patitur. Eadem de causâ nec allatorum heic instituemus examen. Liberè tamen profiteamur, quàm multa eorum haud posse à nobis admitti, quoniam videntur à veritate nimium aliena. Si sanè hæc ita sese habuissent, longe

longe plurimorum eruditorum monachorum ex illo ævo scripta superessent, inque superstitibus eorum voluminibus major quædam doctrina eluceret. Nunc autem illius etiam Carolovingici ævi tantum non omnia perquam sunt rudia, & numerus superstes scriptorum est exiguus. Per me igitur licet quidem, addat quis iis an demat fidem. Certum tamen est, ævo etiam illo Carolovingico esse repositos nonnullos, etsi paucos, Cœnobitas sic satis doctos.

Cæterum ut ad scholas Monasteriorum redeamus, saltem apud pleraque hoc effectum fuit Capitularibus editis, ut in Monasteriis si non aliæ triviales tamen haberentur. Et quidem Monasticæ illæ scholæ triviales videntur duplicis fuisse generis. Aliæ in ipsismet monasteriis, CLAVSTRI propterea dictæ, & solis ad Monasticam vitam educandis quasi consecratæ. Quò credibile est pertinere illud Ludovici Pii Imperatoris edictum, quod ab Ansigiso aut Benedicto Levita recitatur *l. 1. Capitularium Addition. capit. 45.* hisce verbis: *Schola in Monasteriis non habeatur nisi eorum qui oblati sunt.* Aliæ autem scholæ EXTERNÆ dictæ extra claustra sunt habitæ, Monachorum tamen nihilominus curâ. Liqueat illud ipsum cum ex aliis quàm multis, tum clarissimè ex iis, quæ in vita Notkeri Balbuli monachi monasterii S. Galli narrantur hisce verbis. *Traduntur post breve tempus Marcello schola Claustræ, cum Beato Notkeri Balbulo & cæteris Monachici habitus puerulis: Externæ verò id est Canonice Isoni cum Salomone & ejus comparibus.*

Majoris cujusque doctrinæ scholas publicas itidem in Monasteriis tunc habitas, equidem haud dixerim. Mihi sanè verosimile videtur, institutionem ejusmodi quamlibet fuisse magis singularem aut privatam; idque in illis duntaxat locis ubi viri eruditionis gloria clari haberentur.

Pp

Qualis



Qualis scilicet Fuldæ fuit Rabanus Maurus, non Bedæ, quod Bruschius scribit, sed Albini discipulus, omnium, quantum ex scriptis conijcere est, sui ævi doctissimus, utpote ad quem audiendum etiam ex Gallia missus olim fuerit ab Aldrico Abbate suo, post Senonensi Episcopo, Servatus Lupus, qui deinceps etiam ipse factus fuit Abbas cœnobii Ferrariensis: uti ab eo (verba sunt Lupi epistola prima) *ingressum caperet divinarum scripturarum*, jam tum ante scilicet *doctorem Grammaticum sortitus à quo præcepta artis acceperat*, non tamen vel *Rhetoricam*, vel *ceteras liberales disciplinas*. Unde obiter discere est, verum esse quod diximus, in paucis duntaxat etiam Galliæ cœnobiis meliores literas fuisse cultas, nec nisi privatâ aliquorum operâ. De Rabano sanè ita etiam scribit Bruschius. *Bibliothecam Fuldensem tantâ librorum multitudine locupletavit ut dinumerari vix queant*. Demum cum se totum divinis libris scribendis dedere vellet, post habitum regimine in montem D. Petri se consultis, eoque fratres studiorum suorum amulos collocavit: ubi biblica scripta omnia discipulis enarrans, commentariis ea in hunc usque diem extantibus illustravit. Deinde cum multitudo fratrum rumore piæ conversationis crevisset, aliud monasterium in monte Joanni Baptista sacrare constituit. Mitto alia ejusdem Bruschii: quæ nimirum ille narrat etiam de aliis nonnullis Germaniæ nostræ Monasteriis. Fuerit autem omnino operæ pretium legisse quæ de Fuldensis scholæ rebus erudite disseruit Christoph. Browerus l. 1. *Antiquit. Fuldensium* cap. IX. X. XI. XII. XIII. & XIV. At cum judicio expendentibus Monasticam eruditionem, saltim illorum qui Benedicti regulam sequuntur, dissimilis multum propagatæ in iis doctrinæ ratio apparebit. Quod si porro Cœnobiiorum Francici Imperii Carolovingici cum vetustioribus quibus-

quibusque placuerit contentionem instituere, liquidum omnino erit, quæ in illis fuit quondam facta doctrinæ propagatio, ad unius Hiberniæ & Britannicæ exemplum esse institutam. Quin imo quoniam ex Britannia in regnum Francorum nemo advenit olim doctior Albino Alcuino, postquam ipsemet in Britannia divinam humanamque doctrinam in Ebroicensis Ecclesiæ monasterio docuisset, plurimum autem apud Carolum Magnum valuit consilio atque auctoritate; quin hujus eximii viri cum suasionibus tum ductui hæc qualicumque modo rector utiliorque Monasteriorum forma debeatur, equidem haud esse dubitandum arbitror.

## SUPPLEMENTVM XXXIII.

Ad pag. LXV.

**H**aut dissimulabo hic, non omnes viros illos præclaros quos ex Cœnobiis Germaniæ nostræ produisse diximus, nostros esse. Salthim utique Paschasium Ratbertum dedit Corbeja Gallica: Halitgerius quoque si non & Amalarius fuit Francogallus. Primi quoque Bremensium Antistites non eruditissimos sed sanctissimos merentur annumerari. Interque eos Anscharium nova quidem Corbeja magistrum habuit suæ scholæ & Ecclesiæ, vetus tamen eruditissimus: ut patet ex vita ejus à Remberto descripta *cap. V.* Fuit porro Anscharius Cœnobiis Corbejæ, initio quidem Gallicæ deinde autem & Novæ sive Saxonice, *magister scholæ*, non tamen nisi puerilis. Liquidum id sanè est de veteri Corbeja *ex cap. 3. & 4. Vita.* Cum in Daniam proficisceretur, eundem cum Autberto itineris socio itidem pueros instituisse dicitur *cap. 6.* iis verbis. *Ipsi quoque divino inspirati amore ad promulgandum devotionis suæ religionem, caperunt curiose pueros querere, quos emerent & ad Dei servitium educarent.*

Pp 2

Præfa-

*Præfatus quoque Herioldus ex suis aliquos sub eorum cura erudiendos posuit. Sicque factum est, ut scholam inibi parvo tempore statueret duodecim aut eo amplius puerorum.* Similem puerilem ludum literarium Hamburgi ab Anschario esse institutum, narratur *capite 14.* ut & apud Waldonem, qui rudi carmine vitam Anscharii est persecutus, *cap 34.* Ad hoc ipse Anscharius sanctis potius fuit annumerandus quam doctis: imo à doctrina nullam meruit laudationem. Quantumvis verò tenuis adeo fuerit & Anscharii & aliorum in studiis profectus, verumtamen unus Rabanus Germaniæ nostræ potest esse pro omnibus ævi illius, quarumcunque etiam gentium Occidentalis Ecclesiæ.

## SUPPLEMENTVM XXXIV.

Ad pag. LXVI.

**R**egulam Monachorum five Canonicorum, quæ Augustini nomen præ se gerit, esse illius auctoris, malo equidem nunc potius negare quam asserere. Quoniam non tantum in Possidii Indiculo aut Retractionum libello ipsiusmet Augustini, sed nec in quoquam scriptore vetustiore alio ejus fit mentio: eoque nec in Codice illo, quo collegit omnes antiquas Monasticas Regulas seculo nono Christiano Benedictus Abbas Anianensis (quem Romæ curante Luca Holstenio editum, acceptum fero Episcopi atque Principis Paderbornensis hodie in Germania nostra incomparabilis Ferdinandi, liberali dono) reperitur, sed tantum Epistola S. Augustini centesima nona, quæ sanctimonialibus piavivendi instituta præscribuntur. Acquiesco scilicet in judicio Bellarmini, cujus hæc sunt verba: *Ex tribus Regulis sola est tertia S. Augustini, sed feminis data non viris; habetur enim epistola 108, reliquæ duæ non videntur Augustini.* Recentior sanè est Hugo nostras, quam

quàm ut possit haberi idoneus testis & iudex librorum S. Augustini. Taceo dubium esse, sitne libellus ille Hugonis nec ne. Multo minùs verò Humbertus tanquam testis aut censor admitti potest: utpote qui vixerit demum seculo tertio decimo Ordinis prædicatorum monachus.

## SUPPLEMENTVM XXXV.

Ad pag LXVII.

**I**N Dissertatione non tam ipsa Ansegisi verba, quàm eorum mentem recitavimus. Attulimus tamen illa paulò ante in Supplemento. Epistolam Caroli Magni de Scholis Monasteriorum & Episcoporum, lectu sanè dignissimam, quam ille generalem esse voluit ad omnes Episcopos & Abbates, quia *Tomo secundo Conciliorum Gallia pag. 121* inseruit optimè de re literarià meritis Sirmondus, depromptam ex Codice Metensi, officii nostri ratio postulat etiam hìc exhibere. Est autem seorsim hæc missa ad Baugolphum Abbatem Fuldensem secundum: nisi quod per oscitantiam scriba sub finem adjecerit clausulam illam epistolarum, quæ ad Metropolitanum aliquem tunc sunt directæ. Id quod etiam Sirmondus observavit. *Karolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patricius Romanorum, Baugulfo Abbati, & omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris, in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem. NOTVM igitur sit Deo placite devotioni vestrae, quia nos unà cum fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut Episcopia & Monasteria, nobis Christo propitio ad gubernandum commissa, præter Regularis vitæ ordinem, atque sanctæ Religionis conversationem, etiam in litterarum meditationibus, eis qui donante Domino discere possunt, secundum uniuscujusq; capacitatem, docendi studium debeant impendere: qualiter sicut Regularis norma honestatem morum ita quoque do-*

Pp 3

cendi

cendi & discendi instantia ordinet & ornet seriem verborum; ut  
 qui Deo placere appetunt rectè vivendo, ei etiam placere non  
 negligant rectè loquendo. Scriptum est enim: Aut ex verbis tuis  
 justificaberis, aut ex verbis tuis condemnaberis. Quamvis enim  
 melius sit bene facere quam nosse, prius tamen est nosse quam fa-  
 cere. Debet ergo quisq; discere quod optat implere, ut tanto ube-  
 rius quid agere debeat intelligat anima, quanto in omnipotentis  
 Dei laudibus sine mendaciorum offendiculis cucurrerit lingua.  
 Nam cum omnibus hominibus vitanda sint mendacia, quanto  
 magis illi secundum possibilitatem declinare debent, qui ad hoc  
 solummodo probantur electi, ut servire specialiter debeant veri-  
 tati? Nam cum nobis in his annis à nonnullis Monasteriis sæpius  
 scripta dirigerentur, in quibus, quod pro nobis fratres ibidem  
 commorantes in sacris & piis orationibus decertarent, significa-  
 retur, cognovimus in plerisque præfatis conscriptionibus eorun-  
 dem sensus rectos at sermones iacultos, quia quod pia devotio in-  
 terius fideliter dictabat, hoc exterius, propter negligentiam discen-  
 di, lingua erudita exprimere sine reprehensione non valebat.  
 Vnde factum est, ut timere inciperemus, ne forte sicut minor erat  
 in scribendo prudentia, ita quoque & multo minor esset, quam  
 rectè esse debuisset, in sanctarum scripturarum ad intelligendum  
 sapientia. Et bene novimus omnes, quia quamvis periculosi  
 sint errores verborum multo periculosiores sunt errores sensuum.  
 Quamobrem hortamur vos, litterarum studia non solum non negli-  
 gere, verùm etiam humilimà & Deo placita intentione ad hoc  
 certatim discere, ut facilius & rectius divinaram scripturarum  
 mysteria valeatis penetrare. Cum autem in sacris paginis  
 schemata, tropi, & cetera his similia inserta inventiantur,  
 vulli dubium est, quod ea unusquisq; legens tanto citius spiritali-  
 ter intelligit, quanto prius in litterarum magisterio plentius in-  
 structus fuerit. Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui &  
 volunt.

voluntatem & possibilitatem discendi, & desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione à nobis precipitur. Optamus enim vos, sicut decet Ecclesie milites & interius devotos & Scholasticos bene loquendo: ut quicumque vos, propter nomen Domini, & sanctae conversationis nobilitatem, ad videndum experierit, sicut de aspectu vestro adificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. \*\*\* Hujus itaque Epistolae exemplaria ad omnes suffragantes, rursusque Coepiscopos, & per universa Monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis: & nullus monachus foris Monasterio judiciaria teneat, nec per Mallos & publica placita pergat. Legens valeat.

Haecenus Caroli Magni Epistola: quam esse scriptam seculo adhuc octavo currente, liquidò indicat Patricii titulus. Cum cura autem Epistolam illam legenti cuivis itidem obscurum esse non potest, omne hoc Caroli mandatum respicere institutionem eorum duntaxat, qui Monasteriis aut Episcopis tunc fuerunt addicti: nec ulterius quidquam esse exactum, quam ut illi cum Grammaticam Latinam ut & rudimenta Rhetorica docerentur, gravioris autem cujusque doctrinae nihil vel ab iis postulatum tunc fuisse.

Et verò etiam hoc omne haecenus fuerat aliquot antehac seculis etiam in Francorum regno neglectum. Ideoque & Clerus tantum non omnis & Monachi passim tunc erant perquam rudes atque illiterati. Cujus exemplum esse poterit ille in Bajoaria sacerdos, qui Latinae linguae ignarus hac formulâ usus tunc erat in Baptismo: *Baptizor te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, ceu legere est in epistola Zachariae Papae ad Bonifacium, quae in Bonifaciano

faciano epistolarum volumine, non multum Latiniore, est 134. Non enim, quod jam ante docuimus, haecenus vel Galliae sive monasteria sive Episcopia habuerant ullas literarum scholas. Etenim Tomo, quidem primo Antiquorum Galliae Conciliorum Sirmondus pag. 205 inseruit Remigii Remorum Episcopi Epistolam, scriptam circa annum Christi 524 ad Fulconem Episcopum, ubi illum arguit, quod *Leuitas fecisset, presbyteros consecrasset, archidiaconos instituisse, ut & primicerium scholae clarissimae militiaeque lectorum.* Verum vox *schola* non minus ac *militia* ibi accepta est illo sensu, quo in Codice Justiniano aliisque sequioris illius aevi scriptis passim in usu fuit. Similiter in Turonensi Concilio II, habito anno Christi 567, quod idem inseruit Sirmondus pag. 334, vox *schola* significat dormitorium. Haec enim verba sunt: *Nec liceat Monachis cellas habere communes, ubi aut bini commaneant, aut peculiare reperiri possint, sed schola labore communi constituatur, ubi omnes jaceant, aut Abbate aut Praeposito gubernante.*

## SUPPLEMENTVM XXXVI.

Ad pag. LXVII.

**D**iploma Caroli Magni Osnabrugensi Episcopatu daturum habetur integrum etiam in *Codice Donatton. piarum* Auberti Miræi. Idem verò subjungit ibi illustrationis vice, (ut nempe appareat, isthoc aëvo Episcopos scholis habendis dedisse operam) nonnulla ex Historia manuscripta Vitæ Notgeri Episcopi Leodicensis. Quoniam illa ad nostrum hoc pertinent institutum, nec alibi fortasse reperiuntur, omnia huc referemus. Verba igitur ipsamet ita se habent. *QUANTA fuerit Notgero in educandis pueris, Scholaribusq; disciplinis instruendis, sollicitudo, hinc probatur, quod semper, dum in via pergeret, longè seu prope, scholares adolescentes secum*

secum ducebat, qui sex Capellanis suis, sub arctissima parèrens disciplina: quibus etiam librorum copiam, cum ceteris scholaribus utensilibus, circumferri faciebat. Sicque fiebat, ut quos plerumq; rudes & illitteratos à claustro abduxisset, ipsos, quos prius magistros habuerant in litterarum eruditione, redeuntes superarent. Cujus eruditionis occasione, plurimi eorum etiam in religionis ac sanctitatis disciplina circa eum intantum profecerunt, ut idonei fierent rectores Ecclesiarum. Ex illis quippe multa civitates gavisa sunt se habere Pastores: quarum Salisburgensis ecclesia Archiepiscopum habuit Gontberum: Cameracensis duos alterum alteri succedentem, Rothardum, & Erluinum: Verdunensis Haimonem, (qui Haimo, magistrum sequens, in urbe Verdunensi monasterium B. Mariae Magdalene & S. Mauri postea construxit) Tullensis ecclesia Hezelonem: & Trajectensis Adelbonadum. Licet à multis etiam aliis, Episcopalem gradum non assecutis, qui sub eo nihilominus coaluissent, quam plurimæ correctæ sunt ecclesiæ. Ex quibus Durandus, postea Leodiensis Episcopus, Babenbergensem ecclesiam religionis & artium disciplina illustravit. Ogbertus, cum quibusdam aliis secum hinc abductis, Aquensium clericorum vitam perniciosè licentiæ contagio depravatam, ad sanctæ religionis statum pro posse reduxit. Quid de Hulbodo dicamus? qui Parisios veniens, à Genouefa Canonice adhesit, & in brevi multarum scholarum instructor fuit. Idem postea sub Pontifice Baldrico Pragam, Bohemiæ civitatem, transmissus, cum nonnulla ibidem Christiana religionis documenta dedisset, ad nos iterum cum honore remeavit. Multi quoque alii sub tanto patre educati, religione ac studiis liberalibus diversa illustrare loca: quorum vita religiosi moribus & doctrinis insignita, paternæ probitatis evidens est documentum. Hæc Autor ille. Non obscurum autem hinc est, etiam hunc Leodicensem Episcopum ferè hæsisse intra pue-



rorum institutionem. Et vero nec ipsum insigni polluisse aliqua eruditione, etsi inter coævus hoc nomine magni fuerit æstimatus, produnt ab illo conscriptæ historiae S. Landoaldi & S. Remacli: quæ reperiuntur in Surio ad diem XIX Martii, & III Septembris.

Nec verò hic Leodicensis Notgerus idem est cum uno trium illorum, qui in Monasterio S. Galli istius nominis inclaruerunt: utpote quum ille Carolo Crasso imperante hi Ortonis Magni & successorum ævo vixerint. Quin imo ut obiter addam, hi etiam tres pro temporis quidem captu habiti sunt perquam docti, respse tamen multum absuerunt à vera illà laude. Magna scilicet olim fuit in existimatione Scholæ literariæ nomine Monasterium S. Galli: quin videtur ad Fuldensis Cœnobii gloriam assurrexisse. Etsi vero haud negarim, præ aliis quampluribus cœnobiis hoc habuisse haud paucos rarâ pro seculi ratione doctrinâ instructos, sic satis quoque eximiam & locupletem sibi insignium librorum Bibliothecam conquisiverit, scholam tamen instituisse doctrinæ illustrioris sive Sacræ sive Secularis haud perinde certum est: sed videtur, libris antiquorum lectis, modò hunc modò quem alium, ad exemplum doctorum quorumque illius Cœnobii, proprio, quod ajunt, Marte sibi doctrinæ aliquid comparavisse. Et sane si vera sunt quæ scripsit Conradus de Habaria *l. de casibus S. Galli cap. 1.* valuit olim Cœnobium hoc doctrina sic satis eximia. Is sane tradit, ibi sic *spiritualem effulsisse disciplinam, ut non solum Benedicti regulam, verum etiam Philosophiam totam, ad unguem usq. investigarint; theoreticam, Platonis, Socratis, Aristotelis, Hippocratis, Boëti omnesq. investigaverint rivulos, ut in suis metris non Philosophi solum sed etiam Poëtae fuerint.* Verum hoc præconium fidem superat.

superat. Legere tamen operæ fuerit pretium, quæ uterque Eckardus libellis *de casibus S. Galli & de vita Notkeri* jam olim, & avorum ætate de monasterii hujus doctrina Bruschius in opere *de Monasteriis*, & post illum Stumpfius *Helveticarum rerum præclari operis libro quinto*, sic satis prolixè commemoraverunt. Nec enim illa hîc repetere, nostri hujus instituti patitur ratio.

Jam tum antè autem etiam facti sumus, Notgerum Leodicensem Crasso Carolo fuisse coævum: ideoque ne ea quidem quæ de illo retulimus ad Caroli Magni faciant tempora. Addemus igitur proinde nunc aliquid quod isthuc pertineat. Theodulphus scilicet Aurelianensis Episcopus in suo quod habuit Dicoesano Concilio, Salvatoris nostri anno DCCCXVII, cujus canones sunt inserti *Tomo secundo Conciliorum Gallie*, hosc duos sanxit. XIX. *Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum, ad Scholam mittere, in Ecclesia sanctæ Crucis, aut in Monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lofardi, aut in cæteris, de his cœnobiis quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* XX. *Presbyteri per villas & vicos scholas habeant & si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est: qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stelle in perpetuas aternitates. Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obrulerint.*

## SUPPLEMENTVM XXXVII.

Ad pag. LXVII.

Ludovicum Caroli Magni filium pietatis exercitia in  
 Qq 2 Clero

Clero & Monasteriis voluisse modis omnibus integra seruari, satis ostendunt Canones illi quos laudavimus Aquigranenses. De scholis tamen, quod miror, in iis nihil est statutum. Ut videatur jam tunc illas, non perinde uti imperante Carolo Magno, fuisse amplius vel Monasteriis, vel Canonorum Collegiis, curæ. Quin imò videtur, jam tunc scholas quas diximus *Externas* sensim in Monasteriis fuisse antiquatas; atque huc pertinere canonem illum Ludovici Imperatoris pag. 299 in Supplemento xxxii adductum, *Ut schola in monasterio non habeatur nisi eorum qui oblati sunt.* Verosimile autem est, voluisse potius Ludovicum, ut ab Episcopis passim pueriles scholæ instituerentur. Liqueat illud ex Canone xxx Concilii Parisiensis sexti, habiti imperante Ludovico, anno Salvatoris 819. Partem ejus, qualis reperitur l. i. c. 5. *Additionum ad Capitularia Francorum* jam dedimus pag. 295. nunc vero illum exhibebo integrum prout edidit Sirmondus. *Jam dudum à pio & orthodoxo Principe domino Huldovico Deo amabili Imperatore jussum & admonitum est, ut rectores Ecclesiarum in Ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, quibus Deus placari posset, prepararent & educarent, attendentes illud Danielis prophete: Qui autem docti fuerint fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiant alios, sicut stelle in perpetuas æternitates. Sed super hac ejusdem Principis admonitione, immo jussione, à nonnullis rectoribus repidè & desidiosè hæcenus actum. Unde omnibus nobis visum est, ut abhinc postpositâ totius corporis negligentia, ab omnibus diligentior in educandis & erudiendis militibus Christi, & vigilantior adhibeatur diligentia; & quando ad Provinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum, sicut jam in precedentibus memoratum est, Scholasticos suos*

scios eidem Concilio adesse faciat, ut suum solers studium circa  
divinum cultum omnibus manifestum fiat.

Concilii porrò Valentini tertii, quod anno Christi  
octingentesimo quinquagesimo quinto celebratum est,  
capitulum octavum decimum de scholis instaurandis ita  
se habet: *Ut de scholis tam divina quam humanae literaturæ, nec  
non & Ecclesiastica cantilena, juxta exemplum prædecessorum no-  
strorum, aliqua inter nos tractetur, & si potest fieri statuatur atq;  
ordinetur. Quia ex hujus studii longa intermissione, ple-  
raq; Ecclesiarum Dei loca, & ignorantia fidei & totius  
scientiæ inopia invasit. Placet firmatum.* Ex quo Capitulo  
discere est, jam tunc temporis optima Caroli de scholis  
instituta pridem quasi obsolevisse: hinc vero & fidei igno-  
rantia laborasse populum, multò magis inopia scientiæ. Ut  
omnino etiam heic non nisi de trivialibus scholis puero-  
rum fermo sit. Quid autem etiam in illo Concilio fue-  
rit constitutum de scholis instaurandis, nusquam traditum  
est: indubie autem omni caruit felice successu.

Quem præterea Canonem in Dissertatione adduxi-  
mus, non est Tullensis sed Lingonensis ad Saponarias, ha-  
biti anno *CI D LIX*. Concilii à nonnullis Galliæ E-  
piscopis: in Concilio tamen Tullensi cum aliis oblati sunt  
Carolo Calvo ejusque exfratre Lothario nepotibus Lo-  
thario & Carolo Regibus, eodem anno. Debetur autem  
editio illius Concilii prima in eodem Sirmondo: habetur  
que *tom. tertio Conciliorum Gallia pag. 153.* Videtur  
autem Episcopus illos desiderasse scholas rei literariæ di-  
vinæ humanæque non tam in puerorum quam majorem  
& meliorem usum. Caruit autem & hoc votum omni suc-  
cessu optato.

Prodiit porro Romæ anno seculi hujus sexagesimo secundo *Collectio Romana bipartita veterum aliquot historie Ecclesiastica monumentorum*, edi cepta à Luca Holstenio, sed post ejus obitum additis notis postumis perfecta, curâ ipsiusmet Eminentissimi Cardinalis Francisci Barbarini. In illo libro cum reperiantur Concilium Romanum Eugenii Papæ secundi, & alterum Leonis Papæ quarti, quorum utroque de scholis aliquid est constitutum, liber verò ille hæcenus paucis fortè sit visus, quæ nostri argumenti ibi habentur hæc adferre non abs re fuerit, præsertim quia utrumque Concilium habitum est Imperatore Ludovico Lotharii Imperatoris filio. Et verò primi hoc exordium est. *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, Imperante domino nostro piissimo Augusto, Hludovico à Deo coronato magno Imperatore, Imperii anno 13 & regni ejus anno 13, sed & Hlotbario novo Imperatore, ejus filio, anno X, Indictione IV, mensis Novembris die XV, Eugenius sanctissimus ac ter beatissimus & universalis Papa, cum universis Episcopis &c.* Alterum ita incipit. *Incipit sancta ac veneranda Synodus, quæ per Domini gratiam & ejus divinum consilium congregata est in Ecclesia B. Petri Apostoli, anno scilicet Pontificatus sanctissimi & Evangelici & Universalis quarti Papæ Leonis septimo, atq; invictissimorum dominorum nostrorum Hludovici & Hlotarii Imperatorum, anno quoq; Imperii eorum quinto & trigesimo septimo, mense Decembri die VIII Indictione II.* Habetur autem Concilii Eugeniani capitulum xxxiv *De scholis reparandis pro studio litterarum* jam tum in Decreto Gratiani *Dist. 37. cap. 12.* hæc verbis: *De quibusdam locis ad nos refertur, neq; magistros, neq; curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco in universis Episcopis (ita enim scribendum, non Episcopis) subjectisq; plebibus, & aliis locis in quibus necessitas occurrerit, omnino cura & diligen-*

ria adhibeatur, ut magistri doctores & constituantur, qui studia literarum liberaliumq; artium dogmata assidue doceant: quia in his maximè divina manifestatur atq; declaratur mandatum. Concilii illius quod Leonis IV. Papæ auspiciis est gestum, Capitulum itidem xxxiv eodemque titulo, sic sonat: *Etsi liberalium artium preceptores in plebibus raro inveniuntur: tamen divina scriptura magistri, & institutores Ecclesiastici officii nullatenus desunt: qui & annaliter proprio Episcopo de ejusdem actionis opera sollicitè inquisiti debeant respondere. Nam qualiter ad divinum calum aliquis accedere possit, nisi iusta instructione doceatur?* Haftenus illa Capitula. At verò quod Eugenius Papa decrevit de liberalium artium Scholis, illud clarè significat, tum temporis illas fuisse etiam in Italia collapsas. Inanem verò etiam fuisse illum Eugenii conatum, indicat liquido alterum illud Leoninum, quo affirmatur *liberalium artium preceptores raro inveniri*. Reapse enim nulli tum fuerunt apti artibus illis ex dignitate docendis: imò etiam barbarorum magistrorum magna fuit penuria. Quales vero & *magistri divina scriptura & institutores Ecclesiastici officii* sint constituti, si expertes illi fuerint liberalium artium? Verùm hæc fuit illo ævo etiam in Italia, imo etiam Romæ, inscitia, ut etiam illa barbara, qua utraque capitula constant, Latinitas habita tum fuerit quantivis pretii; scientiæ autem siue divinæ siue secularis vix quisquam fuerit peritus; etsi paulò post Nicolaus I. Papa multùm videatur ultra seculi sui mores sapuisse.

Annotavit verò Holstenius ad Capitulum ultimum: *De scholis Ecclesiarum earumq; magistris, erudite & prolixè disseruit Altaserra cap. 2 pag. 107.* Etsi autem illa Altaserræ visa mihi non sint, nolo tamen etiam hoc Lectorem celerare, quia viri illius eruditio & insignis in eruderandis rebus

bus.

bus antiquis sedulitas abundè in quam multis aliis sese mihi probavit.

## SUPPLEMENTVM XXXIIX.

Ad pag. LXXVII.

**D**E Alcuino heic unicum duntaxat nunc annotabimus illud, quod ipsemet Carolus Magnus non dubitaverit cum universo Episcoporum Concilio Francofordiensi, quo nullum in Regno Francorum magis fuit plenarium, ut loquar more Ecclesiastico veteri, non dubitaverit laudare illum pariter & commendare. Ita enim sese habet Concilii illius Capitulum ultimum. *Commonuit etiam Carolus Rex, ut Alcuinum ipsa sancta Synodus in suo consortio, sive in orationibus, recipere dignaretur, eo quod esset vir in Ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis Synodus secundum admonitionem Domini Regis consensit: & eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt.*

## SUPPLEMENTVM XXXIX.

Ad pag. LXXIV.

**E**orum qui negant, jam tum Carolo Magno imperante Parisiensis Scholæ capisse exordium, sententiam haud parum fortè confirmant illa quæ habentur *capit. XII. libri 3. Parisiensis Concilii sexti*, quod celebratum est anno Christi octingentesimo vicesimo nono, jam tum imperante Caroli filio Ludovico Pio. Illud enim ita sese habet. *Similiter obnixè ac suppliciter vestra Celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis, schola publica ex vestra auctoritate fiant: ut labor Patris vestri & vester, per incuriam, quod absit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & vobis magnam mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescet. Omnino enim hic sermo est de Scholis publicis qualem*





ignoratione invexerunt. *Qua de re eruâtè scribit Stephanus Paschasius l. 3. Disquisitionum Francicarum cap. 3.* Non est mihi nunc ad manum Paschasii ille labor: ideoque quid ille asseruerit vel negaverit equidem nescio. Fortassis autem nec Launoyus aliud improbat, quàm quod fertur de quatuor Bedæ discipulis. Et verò nullus eorum quatuor Bedâ fuit magistro usus. Et si Rabanus & Joannes Scotus illi, quorum hodieque celebris est memoria, credantur Parisiensem Scholam auspiciis Caroli Magni instituisse, etiam hoc utique fabulosum fuerit: uterque enim floruit demum filiis Ludovici Pii Imperatoris rerum porientibus. Haftenus igitur etiam me adstipulatorem habeat Launoyus. Multum cœteroquin tribuo viri iudicio: utpote quod abunde ille mihi probavit eximiis aliquot libellis, quibus fabulas nonnullas Ecclesiasticas, in vulgus receptas, masculè explosit.

## SUPPLEMENTVM XXXIX.

Ad pag. LXXIX.

**I**oannem Erigenam fuisse gente Hibernum, adeoque ex vetere non autem Britannica Scotia oriundum, jam tum docuimus Supplemento xxxi pag. 281. Eundem vixisse aliquamdiu in Gallia, Carolo Calvo Rege, præter Sigbertum Gemblacensem in *Catalogo cap. 95*, narrant etiam Matthæus Westmonasteriensis in *Floribus Historiarum* quos vocat, ad annum DCCC LXXX, & Guilielmus Malmesburienfis *l. 2. de gestis Regum Anglorum cap. IV* alique. Adducam verba quædam solius Matthæi. *Eodem anno venit in Angliam Magister Joannes, natione Scotus, Vir perspicacis ingenii & facundie singularis. Hic dudum relicta patria ad partes Gallicanas transiens, Carolumq; Calvum adiens, atq; in magna ab eo dignatione susceptus, individuus comes ei fuerat & mensa & cubili.* Alia quæ adduntur prætereo. Versos

Versos porrò ab illo Joanne Dionysii Areopagitæ libros, qui feruntur, ex Græco, jubente Carolo Rege: testantur præter Matthæum etiam Sigebertus & alii, estque illa versio etiamnum superstes. Librum illius novemdecim Capitibus constantem *de Vna prædestinatione*, etiam superesse in Bibliotheca Corbejensi, scribit Sirmondus *ad Tom. secundum Concilior. Gallia pag. 681.* Utrum autem ille publicatus sit typis, nescio. Tantùm Synopsis, sive excerpta potiùs, illorum novemdecim Capitulorum edita sunt in libro, Lugdunensis Ecclesiæ nomine contra Joannem illum acerbissimè & satis iniquè, pro causâ Gotteschalci ejusq; doctrinæ de Prædestinatione scripto. Hujus libri autem Lugdunensis verus autor creditur vulgò esse Florus Lugdunensis Diaconus. Nec sinè causâ: quoniam id videtur Westmonasteriensis quoque affirmasse. Vidi tamen in Suecia degens in Bibliotheca Regia Serenissimæ Christianæ manuscriptum eundem librum, attributum Igomaro Viennensi Episcopo. In cujus calce legebatur. *Hoc epitaphium composuit Joannes Scotus, licet sapienter hæreticus tamen.*

*Hic jacet Igomarus cleptes & semper avarus.*

*Hoc unum fecit nobile quod perit*

Esse autem hoc epigramma Joannis illius, haud equidem negaverim. Arguit enim, auctorem & lepidi fuisse ingenii & Græce non indoctum: talem vero depinxit Joannem Westmonasteriensis, varia ejus jocosè dicta factaque commemorans.

Ab eodem præterea Joanne Scoto *de Eucharistiâ* esse scriptum librum, in eandemq; planè sententiam, quam tunc temporis defendit Rattramus, (qui perperam Thrite-mio atq; vulgo nunc audit Bertramus) Corbejensis mona-

chus, oppositumq; adeo illi quod tunc inualescebat *ἡ μισο-  
τυσιώσεως* dogmati, liquet ex iis quæ Lanfrancus *contra Beren-  
garium* scripsit *cap. 4.* Meminit autem ejus & Philippus Ber-  
gomensis in *Supplemento Chronicor.* ad annum 880. Verùm ille  
libellus forte pridem interiit: quia scilicet in Synodo Ver-  
cellensi, contra Berengarium coacta, *lectus & damnatus* fuit  
Lanfranco teste: imo & Romæ combustus, si aliorum credi-  
mus narrationibus. Frustrà sanè sunt, qui suspicantur li-  
brum qui hodieq; superest Ratramni nomine, esse Joan-  
nis Scoti: quum jam Sigeberti Gemblacensis ævo Ratram-  
nus illius auctor citra controversiam fuerit habitus, & do-  
ctissimo Usserio *cap. XI. Historia Gotschalciana* teste, tum in Sa-  
risburienſi tum in Benedictini collegii apud Cantabrigienses Biblio-  
theca superſit Ratramni, præter alterum de Anima, unus  
de *Nativitate Christi liber, in quo eandem, quam in libro de Corpore  
& Sanguine Domini tradidit, doctrinam propugnat.* Non enim  
à vero id alienum esse dixerim, etsi liber ille, qualis est edi-  
tus *Spicilegii tomo primo* à Luca Dacherio Benedictino  
monacho, nihil tale habet: sed illaudabili haut insolito  
tamen studio id esse omiſſum, vero est similius.

Non mirum autem est, Joannis Scoti librum illum peri-  
iſſe, quia simile fatum paſſus est ejusdem cum Scoto & Ra-  
tramno ſententiæ liber Amalarii Diaconi & Scoto coævi  
Chorepiscopi Trevirensis; perierint item Rabani Mauri  
Archiepiscopi Moguntini liber ad Eigilem, non Fuldenſem  
ſed Prumiensẽ Abbatẽ, ut & fortasse quidam Heribaldi  
Autisſiodorensis Episcopi liber: quando quidem ſcil. viſi fu-  
erunt non convenire *ταῖς χυρλαῖς δόξαις*, quæ poſt prævalue-  
runt. Poſt inquam. Illam enim Ratramni & Scoti doctrinam  
illius ætatis ſaltim quam multis viſam eſſe veriorem, do-  
cere poteſt vel ſola auctoritas eam tunc defendentium,  
Rabani

Rabani cum primis, & Joannis Scoti. Fuit enim utriusque summa tum existimatio. Quod de Joanne Scoto ipsemet ejus iniquus adversarius, sive Florus sive Igomarus, satis prodit, quando ait: *Quia à multis idem homo quasi scholasticus & eruditus admirationi habetur.* Rabani per Germaniam cum primis & Galliam universam, summam fuisse existimationem, citra controversiam est apud omnes. Hunc autem ipsum Paschasio Ratberto opposuisse suam ad Egilum Epistolam, perquam mihi si verosimile ex hisce verbis *Epistola ejusdem Rabani ad Heribaldum Autissiodorensem Episcopum cap. 33.* quam post Stevartium optimâ fide edidit cum Reginonis *de Ecclesiasticis disciplinis* opere, vir de antiquis Ecclesiæ monumentis optimè meritis ac longè doctissimus idemque amicus noster Stephanus Baluzius. *Quidam nuper de ipso Sacramento corporis & sanguinis Domini, non rite sentientes, dixerunt, hoc ipsum corpus & sanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum est, & in quo ipso passus est in cruce, & resurrexit de sepulchro, idem esse quod sumitur de altari.* (Hoc autem omne tunc unus libro edito docuerat Paschasius) *Cui errori, quantum potui, ad Egilum Abbatem scribentes, de Corpore ipso quid verè credendum sit, aperuimus.* Possit verò, eam fuisse Rhabani sententiam, etiam ex eo colligi; quod (ceurectè advertit Baluzius) *l. 1. de Institutione clericorum cap. XXXI* doceat, Corpus Domini Eucharisticum in alimentum corporis nostri redigi, quemadmodum olim locuti fuerant S. Justinus & S. Irenæus: imò quod Heribaldo quærenti, *utrum Eucharistia postquam consumitur & in secessum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam, quam habuerat antequam in altari consecraretur: non dubitaverit respondere, superfluum esse hujusmodi quæstionem, cum ipse Sal-*

vator dixerit, Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in secessum emittitur. Quod ultimum ejus responsum Berengarii tempestate diffamari cæpit, nescio quo Stercoronistarum hæreticorum titulo, & Græcis impu-  
tari: ceu videre est apud Algerum de Sacramento Eucha-  
ristie l. 1. cap. 1. imo quasi nunquam antehac auditum procla-  
mari, ut habetur in libello anonymo de Eucharistia quem  
ex Schedis Sirmondi produxit in lucem Cellotus: cum  
tamen pridem ita fuisset locutus ipsemet Origenes ad cap.  
XV Matthæi, & fortassis hinc Græca hæresios titulo placi-  
tum illud infamaverit Algerus. Ut cunque verò se ha-  
beant illa Rhabani; quandoquidem vir ille, isthac ætate per  
Germaniam Galliam alibiq; summi habitus pretii, non  
dubitavit talia profiteri publicè, & quidem docere isthac  
viros magnos, qualis utique fuit Heribaldus, imo & Eigil,  
utpote qui ita à Rhabano institutus factus mox fit Archi-  
episcopus Senonensis: quandoquidem etiam apud ipsum  
Carolus Calvus Regem in summa fuerit opinione & gra-  
tia Joannes Scotus: equidem haud dubito affirmare, saltim  
apud Regem ipsum Carolum & Episcopos Germaniæ Gal-  
liæq; eruditiores quam multos, Ratramni doctrinam haud  
malè tunc audivisse. Non sanè legere est, tunc quidem  
temporis, sive in Concilio aliquo, sive aliàs, quenquam  
post Corbejensem Paschasium illi placito adversatum esse.  
Ex adverso in plærisque seculi noni scriptoribus occurrunt  
quamplura Ratramnica. Fortassis tamen isthuc trahenda  
sunt virulenta illa convitia à Remigio Archiepiscopo Lug-  
dunense, homine impotentis animi & calami, in Amala-  
rium (qui perperam à nonnullis credi solet idem esse cum  
Amalone Remigii antecessore) indignis modis jacta, pri-  
mà Epistolâ de negotio Gotschalcano scripta. *Multum mo-  
lestè*

lesse & dolenter accepimus, ut Ecclesiastici & prudentes viri tantam injuriam sibi metipsis fecerint, ut Amalarium de fidei ratione consulerent: qui & verbis & libris suis, mendacis & erroribus & phantasticis atq; hereticis disputationibus plenis, omnes pene apud Franciam Ecclesias, & nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit atq; corrupit. Vt non iam ipse de fide interrogari, quam omnia scripta ejus, saltem post mortem ipsius, debuerint igne consumi; ne simpliciores quique, qui eos multum diligere & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occuparentur & perniciose fallerentur ac deciperentur. Hæc inquam fortassis accipienda sunt de Amalarii cum aliis scriptis tum illo libro quo *metuōias* oppugnaverat: certò enim haud asseveraverim. Quanquam oppugnatam ab illo esse *metuōias*, non equidem dubitem Sorbonico etiam Duvallio attentiri potius quam Usserio credere, Amalarium prætulisse *metuōias* dogmati, eoq; ejus de Corpore & sanguine Domini de iuramenta (ita loquitur Hist. Gotschalctiana cap. VIII, pag. 133. editionis Hanoviensis) ab Episcopis esse damnata: præsertim quoniam cum passim alibi, tum in ipsa statim Præfatione operis de Ecclesiasticis officiis etiamnum supersitit, legantur nonnulla *metuōias* dogmati *Ma ppñclw* adversantia. In quæ tamen nec adversarius Agobardus animadvertit libro illo singulari quo acriter libros istos Amalarii oppugnavit: quia nempe etiam ipse existimavit, reperiri Corpus & sanguinem in Eucharistia non nisi mysticè.

Cæterùm isthæc omnia, fateor, nihil ad argumentum hoc nostrum de Scholis faciunt. Speraverim tamen hanc etiam antiquitatis Ecclesiasticæ eruditionem, nec inutilem, nec quamvis alieno institutam loco, ingratam saltem aliquibus futuram.

Ad pag. LXXXX.

Quoniam docuimus, primum Carolum scholas per Episcopia & Monasteria triviales, alibi verò & liberalium artium ut & Sacrarum literarum, in Francici imperii terris instituisse, jamq; tradit Dissertatio, etiam exemplo suo Carolum excitasse artium studia, videtur haud abs re futurum, si potissima saltem eorum, quæ de Caroli doctrinâ cum Eginhartus tum alii quidam præclari scriptores memoriæ tradiderunt, hoc loco integriora exhibeamus.

Igitur Eginhartus, quo familiari ministro usus est Carolus, hæc memorat libri quem *de Vita Caroli* conscripsit *capite*, ut nunc solet à nonnullis dividi, *vicefimo quinto*. Erat eloquentiâ copiosus & exuberans, poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patriâ tantum sermone contentus, sed & peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut aequè illa ac patriâ linguâ orare sit solitus: Græcam verò melius intelligere quàm pronunciarè poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam *dicaculus* (ita rectè habet Codex Florentinus) appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumq; doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica Petrum Pisanum diaconum, senem audivit: in cæteris disciplinis Albinum cognomento Alcinum, item Diaconum de Britannia, Saxonici generis hominem, virum undecumq; doctissimum, præceptorem habuit: apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipue tamen Astronomiæ, ediscenda plurimum & temporis & laboris impendit. Discebat & artem Computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Tentabat & scribere: tabulasq; & codicillos ad hoc in lectulo sub cervicalibus circumferre solebat, ut cum vacuum tempus esset, manum effigiandis litteris assuefaceret. Sed parùm prospere successit

cessit labor præposterus, ac sero inchoatus. Sequenti capite, ubi narratur Caroli circa religionem pietas, additur: *Legendi & Psallendi disciplinam diligentissime emendavit: erat enim utriusq; admodum eruditus: quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi submisso & in commune cantaret.* Idem Eginhartus jam ante cap. 24 scripserat. Inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historia & antiquorum regum gesta. Delectebatur & libris S. Augustini, præcipue iis quos de Civitate Dei inscripsit. Digna etiam repetitione nostra sunt quæ habet Eginhartus capite vicesimo nono. Post susceptum Imperiale nomen, cum adverteret multa legibus populi sui deesse, (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valdè diversas) cogitavit quæ deerant addere, & discrepantia unire, prava quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quàm quod pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ sub ejus dominio erant, Jura quæ scripta erant describere, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsit memoriæq; mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam juxta propriam linguam nomina imposuit: cum ante id tempus apud Francos partim Latinis partim Barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis insignivit, cum prius non amplius quam vix quatuor ventorum vocabula inveniri possent. &c. Et hætenus quidem audivimus omni exceptione majorem testem Eginhartum.

Scribit autem & Theganus l. de gestis Lud. imp. cap. 7. in hæc verba. *Postquam divisi fuerunt (Carolus & Ludovicus filius) nihil aliud capit agere Carolus nisi orationibus & elemosinis vacare & libros corrigere. Nam quatuor Evangelia Christi, quæ intitantur nomine Matthæi Marci Lucæ Joannis,*



anno ultimo ante obitus sui diem cum Græcis & Syris optime correxerat. Verùm quî potuerit hoc agere Syriacæ linguæ imperitus Carolus (etenim à solius Latinæ & Græcæ linguæ notitia Carolus Eginhartus laudavit) non apparet: itaque usus ad hoc quidem est ministerio alterius Syriacè docti. Interim laudari etiam hæc meretur inusitata isthoc ævo & tanti Principis industria.

Feruntur autem & libri quidam tanquam Carolo auctore conscripti. Quos inter eminet opus, contra Nicæanæ secundæ Græcorum synodi de Imaginum adoratione doctrinam conscriptum. Haud me fugit, quia multum ab eo quod Romanæ Ecclesiæ auctoritate post in Occidente etiam receptum est sacro dogmate, illud nonnullis recens, & ἑποβολιμαῖον superioris seculi foetum, esse creditum. Verùm illa infania jam desit. Nec quisquam hodieque temere reperitur paulò eruditior, qui non agnoscat, esse illud ipsum opus, cui tanquam à Carolo sibi misso opposuit Epistolam eam quæ passim legitur, Adrianus Pontifex. Certè voluisse Carolus sese haberi auctorem, indicant verba l. 1. cap. 6. ubi Pipinum Regem *Veneranda memoria genitorem suum* appellat, cuius ut & sua cura effectum sit, ut Gallicanæ aliæque Occidentis Ecclesiæ in Psalmodia Romanæ convenirent. Libro secundo cap. 3. memorat, suo & Patris tempore Legatos in Orientem destinatos. Imo in ipsâ statim operis præfatione sic loquitur: *Quoniam in Ecclesia sinu regni gubernacula Domino tribuente suscepimus, necesse est ut in ejus defensione & ob ejus exaltationem, Christo auxiliante, toto animu certemus.* Addit: *quod opus aggressi sumus cum cohibentia Sacerdotum in Regno à Deo nobis concesso catholicis gregibus prelatorum, non arrogantia supercilio, sed zelo Dei & veritatis studio.*

Hinc

Hinc illi Codici unde primam editionem publicavit Joannes Tilius Episcopus Meldensis ista est præfixa inscriptio. *In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, incipit opus illustrissimi & excellentissimi seu spectabilis viri, Caroli nati Dei Regis Francorum, Gallias Germaniam Italianq; sive harum finitimas provincias, Domino opitulante regentis, contra Synodum, qua in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stolidè sive arroganter gesta est.* Utergo fortassis non omnia illius operis ab ipsiusmet Caroli sint manu, illi tamen omnino debet attribui saltim ut auspici & approbatori.

Feruntur præterea & alia Caroli nomine: super quibus tamen cum nemine equidem præfracte contenderim. Inter alia est & epitaphium carmen Adriano Papæ defuncto scriptum, idque haud inconditum. Quoniam verò nec ab Eginharto laudatus est Carolus à Poëseos aliquâ peritiâ, atque illud ipsum carmen inter Alcuini opera reperitur, verosimile videtur, esse quidem nomine Caroli exaratum sed ab Alcuino.

Duo addemus, in testimonium desiderii Caroli Magni studia quævis meliora propagandi. Alterum Aventinus l. 4. *Annalium* hisce verbis refert. *Cum aliquando in Galliam reversus fuisset, pueros, quos Clementi Scoto in Parisiensi Academia erudiendos commiserat epistolis versibus carminibus orationibus paucyricis scriptis, ut periculum de eorum ingenis atq; indole faceret, sibi exhiberi iussit. Vbi tenuioris fortune juvenes præter spem multum profecisse, nobiles vero gaudis corporis deditos, cultum animi neglexisse deprehendisset, illis ad dexteram segregatis: Vos quidem macti virtute, inquit, estote filioli pietissimi, qui nostro imperio gnæviter defuncti estis: vestra erunt sacerdotia locupletissima & Pontificatus maximi. Ego vos in aulam assicam: ex vobis senatores cooptabo: vos in album*  
*præto.*

prætorum & patrum curiam allegam. Deinde ad nobilium liberos, quos à leua collocat, vultu haud iram dissimulans, ait, *At vos comatuli, & delicatuli, freti opibus & splendore parentum, nostram majestatem consprevistis, vitia otia luxum & inertiam bonis literis virtutibusq̃, contempto decreto nostro, prætulistis: jubeo, & Deum immortalem testor, nihil penitus commodi honoris, ne obulum quidem ab Imperatore vestro, cujus jussu aspernati estis, expectate: faxim ut omnibus mortalibus ludibrio vivatis: & in vos exempla eadem, nisi resipueritis, & negligentiam diligentia exproveritis. Suppeditat alterum Monachus S. Galli l. 1. cap. 9. de vita Caroli hisce verbis. Gloriosissimus Carolus per totum regnum suum studia litterarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum præcedentium non pervenire condolens, & plus quam mortale laborans, in hanc radiatus vocem erupit: *ô utinam haberem XII clericos ita doctos, omniq̃ sapientia sic perfecte instructos, ut fuerunt Hieronymus & Augustinus!* Subjungit idem auctor: Conquerenti illum in modum Carolo respondisse Alcuinum: *Creator cæli & terræ similes illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim?**

Priusquam à rebus literariis Caroli Magni abeamus non fuerit abs usu, unum aliquod addere de studiis Caroli Astronomicis. Audivimus enim Eginhartum narrantem, ab Alcuino institutum Carolum, præcipuè Astronomie ediscendæ plurimum temporis & laboris impendisse. Videtur autem Carolus in scrutatione siderum usus operâ etiam ejus qui conscripsit Annales Francicos à Nuenario editos. Hunc fanè & ipso illo tempore vixisse, & sideralis rei haud fuisse indoctum, imo, pro conditione illius tempestatis cœlestium ignaræ & incuriosæ, sedulum scrutatorem, indicant illa quæ referuntur ad annum DCCCVIII. *Anno superiore IV Non. Septembr. fuit Eclipsis Luna. Tunc stabat Sol in XVI,*  
*parte*

parte Virginis, Luna in XVI parte Piscium. Hoc autem II Kal. Febr. fuit Luna XVII, quando stella Jovis quasi per eam transire visa est. Et III Id. Februarii fuit Eclipsis Solis media die, stante utroq; sidere in XXV parte Aquarii. Iterum IV. Kal. Mart. fuit Eclipsis Luna. & apparuerunt acies eadem nocte mira magnitudinis, & Sol stetit in XI parte Virginis. Nam & stella Mercurii XVI Kal. Aprilis visa est in Sole quasi parva macula nigra paululum superius medio centro ejusdem sideris: quæ à nobis octo dies conspecta est: sed quando primum intravit vel exivit nubibus impedientibus minime notare potuimus. Iterum mense Augusto XI Kal. Septemb. Eclipsis Luna facta est, hora noctis tertia, Sole posito in quarta parte Virginis, & Luna in V parte Piscium. Sicq; ab anni superioris Septembri usq; ad anni presentis Septembrem ter Luna obscurata est & Sol semel. Hæc ille quisquis sit Auctor. Quæ etiam vel ideo merentur attentionem & laudem, quoniam similis alicujus sideralis observationis (de fide tamen ejus jam non agam) nullum in omnibus scriptis Latinis illorum quidem seculorum monumentum est reperire. Et verò aluit in aula etiam Ludovicus Pius Imperator rei Astronomicæ deditum aliquem, qui post historiam Vitæ ejus conscripsit, sed tale specimen eruditionis Astronomicæ non præbuit, Astrologicis divinationibus magis deditus quantum apparet. Carolum tamen ipsum non æquasse hoc in studiorum genere Aronis Chalifæ felicitatem, doceat vel unum illud Horologium, quod eodem anno ex Persia muneri missum narrant Fanorum Annales.

## SUPPLEMENTVM XLI.

Ad pag. LXXXI.

**V**erba quæ adduximus Erici monachi de Carolo Calvo Rege, habentur in Epistola quam præmisit libris *Carminum de vita S. Germani Episcopi Autissiodorensis*. In ea-

Ss 3

dem

dem Epistola hæc etiam de aula Regia merentur annotari. Ita ut merito vocitetur schola Palatium: cujus apex non minus Scholaribus quàm militaribus consuecit quotidie disciplinis. Laudatur etiam ibi multùm Calvus Carolus, quod fuerit studiosissimus colendæ eruditionis, & quidem usque adeo, ut sicubi terrarum magistri floerent artium, quarum principalem operam Philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem undecumq; ipsius celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapillitas provocaret. Memoratur ibidem, etiam ex Græcia eruditos ad illum confluisse. Et sanè etiam patri Ludovico Græcus aliquis Legatus Dionysii Areopagitæ quod fertur opus attulerat, quod Carolus verti curavit per Joannem Scotum: accedente Hilduini magnæ itidem apud Carolum auctoritatis viri fabulosa de uno Dionysio narratione. Joannem porrò Scotum Philosophiæ, pro illius temporis captu, gnarum, & mensa & cubiculo à Rege isthoc Carolo fuisse honoratum jam pag. 316 Supplemento nono tricesimo docuimus. Quasi Mecænatem ergo aliquem sui seculi habitum Calvum Regem, videtur sic satis certò constare. Fratres ejus Lotharium Imperatorem & Ludovicum Germaniæ Regem, hac quidem parte Carolo non esse comparandos, sane manifestum est.

Quid? quod & patrem Ludovicum Carolus ea in re superaverit. Etenim Theganus cap. 18. ita quidem de illo: *Lingua Græca & Latina valde eruditus: sed Græcam magis intelligere poterat quàm loqui; Latinam verò sicut naturalem equaliter loqui poterat. Sensum verò in omnibus Scripturis Spiritualem & Moralem, nec non & Anagogen, optimè noverat. Pœtica carmina gentilia, quæ in juventute didicerat, respicit: nec legere nec audire nec dicere voluit.* Ita quidem, ajo, de Ludovico Theganus: haud legas tamen, studia liberalium artium, aut etiam sacra, fuisse

iffe ab illo, ad exemplum patris Caroli, promotus: aut verò ab illo artes liberales habitas in pretio, (nec enim ullius est momenti, quod stellas interdum sibi fecerit *monstrari*, ut legitur in ejus vita ab homine Astronomo conscripta pag. 415 editionis Wecheliana) sed potius spretas. Id quod indubie factum est præ superstitiosa optimi aliàs Imperatoris pietate, quæ & multorum in republica gerenda malorum fuit causa. Unde idem Theganus cap. 20. *Omnia prudenter & caute agens, nihil indiscretè faciebat, præterquam quod consiliarius suis magis credidit quàm opus esset. Quod ei fecit Psalmodia occupatio & lectioinum assiduitas.*

## SUPPLEMENTVM XLII.

Ad pag. LXXXI.

SEculum nonum floruit sanè Gallia & Germania viris Squibusdam doctis, præ aliquàm multis antecedentibus. Verissimum tamen est quod Dissertatio habet, ultima illius seculi perpetuis bellis fuisse infesta, atq; ideo tunc desuisse priorem etiam illius seculi Studiorum felicitatem. Liqueat sane ruditas illa ex testimoniis cum Synodi Valentinae tum Lupi Servati in Dissertatione adductis. Ruditatem Italiae produnt seorsim quæ adduximus Supplemento xxxvii ex Synodis, ab Eugenio secundo & Leone quarto Papis Romæ celebratis. Extat porò sub initium operis Reginonis de disciplina Ecclesiastica, formula *Inquisitionis secundum quam Episcopus inquirere debeat per vicus pagos atq; parochias sua dioceseos.* Inter alia verò ibi circa Presbyteros jubetur inquiri §. 83. *Si Epistolam & Evangelium benè legere possit, atq; saltem ad literam ejus sensum manifestare.* 85. *Si sermonem Athanasii Episcopi de fide S. Trinitatis, cujus initium est, Quicumq; vult salvus esse, memoriter teneat & sensum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare sciat.* 88. *Ordinem quoq; reconcilian-*  
di us-

di atq; unguendi infirmos, orationes quoq; eidem necessitati competentes, si bene scit legere aut memoriter enunciare. Ad quæ loca doctissime annotat Baluzius: ea erat seculi illius infelicitas, ut necesse esset Presbyteros ab Episcopis interrogari, utrum benè legere nossent. Additque, quendam Gislemarum, regnante Carolo Calvo, cum electus esset in Remensem Archiepiscopum, oblatum textum Evangeliorum aliquatenus quidem legere nihil tamen ejus intelligere potuisse. Fuisse autem illam Inquisitionis formulam passim receptam illa ipsa Caroli Calvi Regis ætate, rectè idem Baluzius in initio Reginoni operis admonuit lectorem.

Decimi seculi ruditas coëgit ipsummet Cardinalem Bellarminum in libello Chronologico in hæc verba erumpere. *Vide seculum infelix, in quo nulli scriptores illustres: nulla concilia: Pontifices parum solliciti de Ecclesia.* Specimen Latinitatis Romanæ exhibere apta est hæc Epistola Joannis XII Papæ, quam recitat Luitprandus Histor. l. 6. cap. 10. *Joannes Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis (in concilio scilicet tunc ab Ottone Magno Imperatore Romæ congregatis) Nos audivimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere. Si hac facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam ullum orinare & missam celebrare.* Eodem seculo, Imperante Ottone II, in Synodo Remensi Episcopus Aurelianensis non dubitavit profiteri: *Cum hoc tempore Roma nullus pene sit, ut fama est, qui literas didicerit, sine quibus vix ostiarius efficitur, qua fronte aliquis eorum (Paparum scilicet) docere audebit, quod minime didicit?*

Nec tamen hoc ita acceptum velim, quasi similis Romanæ barbaries in Gallia & Germania omnium obtinuerit. Fuisse enim etiam tunc aliquos, perpaucos tamen,  
non-

non parum eruditos, inque iis eminuisse Hincmarum Remensem & nostrum Rabanum Maurum, indicant quædam ex illo ævo reliqua monumenta Historica, inque libros aliquot S. Scripturæ commentaria. Sunt tamen etiam plæraque illa non magni multum pretii, præter illud quod habent à sua vetustate & meliorum defectu. Nec enim in illis quidquam pene videas, præter nonnulla ex Latinorum Patrum scriptis, ut & Græcorum, sed paucis iisque Latine versis, petita: nullis linguæ sive Ebrææ sive Græcæ, ut nec ullis sive Philosophiæ sive veteris historiæ subsidiis suffulta, nisi quod in Rabani & Ruperti Tuitiensis scriptis liceat levem aliquam Ebrææ etiam & Græcæ linguæ peritiam observare. Est præterea in omnibus illis seculis, nullum natum scriptum, aut ex Philosophiæ, aut ex Medicæ Artis, sive ex Jurisprudentiæ, aut etiam ex limpida Philologiæ sive Græcæ sive Latinæ, fontibus promanans. In universum parum aut nihil in superstitionibus scriptis alicujus sublimioris & accuratoris literaturæ apparet. Ut proinde factâ cum Sarracenorum & Græcorum ejusdem tempestatis doctrinâ comparatione, Orientalibus illis merito palma sit tribuenda. Notatu porro dignum est, etiam circa finem seculi noni, cum res Galliæ essent perturbatissimæ, Fulconem Remensem Archiepiscopum ad scholas instaurandas magistrum Remigium Autisiodorensem, cujus commentaria in Psalmos & duodecim Prophetas, liber item de Divinis officiis aliaque nonnulla supersunt, Remos advocasse, teste Frodoardo in Remigii vita.

SUPPLEMENTVM XLIII.

Ad pag. LXXXII.

Quæ ex instituto Caroli Magni cæperunt in Episcopiis, ut appellant, & Monasteriis olim scholæ, puerorum informationi & trivialibus duntaxat studiis fuisse dicatas, jam

Tt

tum



tum probavimus Supplemento tricesimo & secundo & quinto: quantumvis nonnulli secus sentiant. Talem verò omnino fuisse Hamburgensem & Corbejensem, docuimus Supplemento xxxiii: nec aliam Notgeri Leodicensem, Supplemento Tricesimo sexto. Eiusdem notæ fuisse scholas illas, quas pag. 82 & 83 in ipsa Dissertatione memoravimus itidem liquet. Sigebertus sub finem l. 2. de Scriptoribus Ecclesiasticis refert, sese *prima aetate Metis fuisse positum in Ecclesia S. Vincentii ad instruendos pueros*. Itaque & illa Metensis Episcopi Schola, tunc temporis non nisi trivialis fuit. Par fuit quondam ratio Scholæ Episcopi Hildesheimensis. Manifestum id est ex vita Barwardi à Browero edita Moguntia, quam ista tempestate conscripsit Tangmarus. Is enim in Præfatione audit quidem *Bibliothecarius & Notarius Ecclesie Hildesheimensis*: at pag. 6 scribit, *sibi primicerio Scholæ puerorum traditum fuisse Bernwardum literis instituendum*. Nec vero est quod quem turbet illud quod pag. 7 legitur Bernwardum *proposuisse magistro questiones ex intimo arcano Philosophiæ*: non enim hinc colligere est, tales quæstiones in schola illa tunc fuisse agitas. De Magdeburgensis scholæ eodem Ottone Magno imperante statu haud potest esse obscurum, iis expensis quæ narrat Dithmarus l. 3 *Chronici* sui. Altiora tribuit illis scholis Crantzius verbis ex Metropoli adductis. Idem l. 5 *Saxoniæ cap. 28* ita loquitur. *Equidem pro illa aetate, necdum crebrescentibus per Christianum orbem Universalibus literarum gymnasiis, apud Ecclesias cathedrales magistri habebantur, qui singulari diligentia non modo rudimentis, sed etiam altioribus doctrinis incumberebant*. Verum enim verò non majorem Crantzius meretur in hisce quidem fidem quàm Tritthemius Langius. Miræus & alii: quorum narrationes dubias reddidimus jam secundo post tricesimum Supplemento.

Iterum

Iterum tamen fatemur, præter communem ordinem, interdum, & paucis quibusdam in Episcopis & Cœnobiis, Sacræ quoque doctrinæ aliisque literis vacatum fuisse. Et verò magnæ olim famæ fuit præ aliis Paderbornensis schola Episcopalis. Scriptor sane vitæ Meinwerci Episcopi cap. LI refert illa quæ alibi non fuerunt in Germaniâ quidem nostrâ in usu. Verba ejus omnia adscribere non pigror. *Studiorum multiplicia sub eorum floruerunt exercitia. Ex bonæ indolis juvenes & pueri strenue instituebantur, norma regulari proficientes haud segniter, in claustrali disciplina. Omniumq; literarum doctrina claruit hæc sub ipsius sororio Imado Episcopo. Sub quo in Paderbornensi Ecclesia publica floruerunt studia: quando ibi Musici fuerunt & Dialectici, enituerunt Rhetorici clarique Grammatici, quando Magistri artium exercebant trivium, quibus omne studium erat circa quadrivium. Vbi mathematici claruerunt, & Astronomici habebantur Physici atq; Geometrici. Viguit Homerus magnusq; Virgilius, Crispus & Sallustius, & Urbanus Statius. Ludusq; fuit omnibus insudare versibus & dictaminibus jucundis que cantibus. Quorum in scriptura & pictura jugis instantia claret multipliciter hodierna experientia, dum studium nobilium clericorum usu perpenditur utilium librorum. Hæc scriptor ille. Ad quem locum in scholiis notavit Browerus de Altmanno Episcopo Passaviense. Qui Passaviensem cathedram aliquando meriturus, in Ecclesia Paderbornensi non solum Canonicus sed scholararcha, Saxonicum clerum ipse Saxo literarum studiis exercitum habuit, ut antiquus scriptor loquitur: ad regimen scholarum delectus, & multis annis adstrictus, donec tandem ex Præposito Aquisgranensi in Palatio Henrici III inter ministeria sacra florere cepit. Iis sane encomiis si credimus, quod fortè fas est, eminuit olim præ omnibus Germaniæ saltim nostræ Episcopalibus scholis Paderbornensis, nec continuit sese ad exemplum alia-*

rum intra puerorum exercitationes. De reliquis sane scholis Episcopalibus nihil simile memoratur, sed triviale & puerile tantum non omne.

Quæ Episcopaliū verò eadem fuit olim ratio & Cœnobialium scholarum. Tantum enim abest, cœnobiis omnibus deberi laudem æqualem, ut quædam cœnobia nullam vel puerilem scholam unquam instituerint: quæ inter est & nostrum Helmestadiense, etsi jam Carolo Magno imperante à Ludgero institutum. Neutiquam igitur par debetur laus in universum omnibus. Nihilominus tamen quædam cœnobia haud levi industriâ olim literarum studiis invigilaverunt. Sanè in Italis Cassinense, in Galliis S. Victoris, in Germania Fuldense (ut alia taceam) merentur etiam hodie hoc nomine, ob nempe olim præclare exercitam majoris quoque momenti doctrinam, gratias & laudationem. Non paritur institutum pro dignitate hæc persequi: non certe ut in Italiam aut Galliam nunc digrediamur. Ne tamen nihil hujus agamus, aut ne videamur omnia etiam nostra dissimulasse, adferemus duntaxat Tritthemianum Fuldensis Cœnobii præconium, quod ille suo Hirsaugiensi Chronico inseruit ad historiam anni 837. *Viguit eo tempore in monasterio Fuldensi maxima religio monachorum sub regimine Rabani Mauri Abbatis, quæ sepe totam Germaniam fama prævolante diffuderat in ora omnium: eratq; laus & memoria Fuldensium monachorum apud Imperatores Reges & Principes in magno pretio, non solum propter sanctitatem vitæ, sed etiam propter incomparabilem scientiam Scripturarum, quâ Fuldenses monachi eo tempore præ cæteris multis dicebantur eruditi. Vnde multi ex iis in diversis Ecclesiis ad apicem Pontificatus fuerunt assumpti. Hæc ille, paulo post addens: Erant eo tempore in cœnobia Fuldensi ducenti & septuaginta monachi, viri religiosi, & pro magna parte in scripturis docti. Ad annum*

854 de Gerungo abbate Hirsaugiense hæc memoravit Tritthemius. *Audvit Rhabanum in Fuldensi monasterio legentem. Quo in abbatem sublimato ejus discipulus Strabus schola publica praelatus est: qui hunc Gerungum tunc adolescentem Rhabano precipiente singulari diligentia prosequutus est. Mos erat in prefato Fuldensi cœnobio his temporibus, monachos non solum in Scripturis sacris instituere, sed etiam in omni seculari scientia literatura ad plenum erudire. Probè enim judicabant sapientissimi viri: divinas scripturas neminem posse perfectè intelligere, quem literas secularis doctrina contigisses ignorare. Extant multa monachorum istius temporis præclara volumina, in quorum comparatione ea quæ hodie cudentur à plarisq; tanquam palea vilescunt. Reperi autem inter alia Strabi hujus opuscula libellum de Arithmetici dimensionibus, quem scripsit ad istum Gerungum abbatem S. Aurelii: cui præponit epistolam sic incipientem: Reverendissimo merito Patri, atque Filio, litera discipulo, gratia magistro, Gerungo Abbati æterna beatitudinis præmium possidere. Ex his intelligere possumus, Gerungum abbatem in omni literatura fuisse studiosum: quia nisi extirisses doctissimus, nunquam vir tantus de tam subtili disputatione scripsisset, maximè in tanta doctorum virorum copia, adignarum. Hæc omnia ut & alia alibi Tritthemius de Rhabano.*

Cæterum ne quid dissimulemus, non universo vel ejus tempestatis Fuldensi cœnobio, sed penè soli Rhabano ejusque uni & alteri discipulorum, omne illud elogium debetur. Longè scilicet etiam tunc aliter fuerunt animati Cœnobii illius Fuldensis saltim plerique monachi. Eoque ipsemet Tritthemius libro de Scripturibus Ecclesiasticis ita de Rhabano fuit testatus. *Tandem offensus improbitate monachorum suorum, qui eum dicebant nimium Scripturis insecutum temporalia negligere, agente id in eis diabolo, displicentiam contra eum acce-*

perunt, scandalizati in eo, quo maxime debuerant edificari. Dans igitur locum iræ, nec cum ingratis ovibus diutius manere consentiens, monasterium & ejus habitatores deseruit. Nicolaus Serarius l. 4. Moguntiacorum pag. 643 laudat testem alium librum manuscriptum ita loquentem: *Rabanus anno 842 Fuldensi pulsus est Abbatia, fratribus monachis causantibus, ipsum studiosum nimis, intentum Scripturis temporalia negligere.* Quod fatum etiam Fridericus Abbas Hirsaugiensis, teste Tritthemio in Chronico ad annum MLXVIII, postq; alios haud paucos tandem & ipse Tritthemius est passus à sui cœnobii monachis.

Nec tamen dixerim, cum Rabano omnem illico melioris doctrinæ culturam Fuldæ defecisse. Etenim Annales Francorum illos, quos primus edidit Pithœus, eodem nono seculo conscriptos esse, rectè docuit Marquardus Freherus, cui librum illum locupletiolem debemus. Nec ignoratur vulgò etiam Mariani Scoti eruditio, qui itidem Fuldæ vixit. Ipsi illi Annales ad annum 865 ita notant: *Rudolphus Fuldensis cœnobii presbyter & monachus, qui apud totius penè Germania partes doctor egregius & insignis floruit Historiographus & Poëta, atq; omnium artium nobilissimus auctor habebatur, VIII. Id. Mart. diem ultimum feliciter clausit.* Exstat apud Browerum p. 222 charta, uti loqui olim soliti, donationis, qua Ludovicus Rex Pii filius huic Rudolpho monacho & Confessori suo, concessit censum & Regios colonos & eorum omnium utilitatem, cupitque fructum ad ceteros item transire scholasticos. Quæ indicant, superfuisse tunc adhuc aliquam Fuldæ scholam, sed fortè non nisi trivialem; cui præfuerit quidem ille Rudolphus, ut non tamen ad ipsi usmet scholæ illius laudem pertineat magistri eruditio. Enimvero multus est Tritthemius quidem passim in laudanda Fuldensium ejus & sequentis aliquamdiu ævi  
mona-

monachorum eruditione & industria: fortassis autem scripsit illa non ex vero, sed finxit præclara quæque, bono studio, ut nempe illis exemplis sui ævi monachos rudes & desidiosos excitaret ad amorem & cultum studiorum. Quapropter non etiam est, cur nos hoc loco immoremur, paucarum ævi illius sive Episcopaliū sive Cœnobialium scholis laudandis: quandoquidem nimirum non nisi ad paucas laus pertinet, simulque brevi tempore, etiam in præclarissimis quibusque illarum scholarum, omnia pristina litterarum exercitia extincta sunt & perierunt, ita ut vix vestigium aliquod tandem superfuerit.

Cæterum ab illis antiquis Episcoporum & Monasteriorum scholis, ut ad tempora propiora veniamus, longè diversum scholarum genus seculo Christiano tertio decimo cepit in Monachorum mendicantium cœnobiis, cum primis eorum qui institutum sive Dominici Hispani sive Itali Francisci amplexati sunt. Idque fortassis non ex primorum fundatorum quos vocant, sed nonnullorum doctorum virorum, qui pietatis studio in sodalitates istas concesserant, consilio. Enimvero non illis curæ fuit humaniorum litterarum disciplina, qualis aliqua, rudior quamvis, obtinuerat in antiquis cœnobiis, sed tantum non omnino fuit spreta & neglecta. Ejus loco autem exculta est Philosophia Aristotelica, quæ isthoc seculo decimo tertio ex Arabica lingua Latine, scabrâ quadam interpretatione, in Europæorum Occidentalium manus pervenit. Præter quoque Philosophiam, Theologia, inusitatâ hæctenus per omnem Ecclesiam, à primo ejus usque exordio, subtilitate ac curiositate, cum ore creberrimisque monachorum exercitationibus, tum scriptis libris, in cœnobiorum auditoriis passim & magno studio à magistris est tradita. In Scripturæ autem sanctæ illustrationem parum, ad Ecclesiasticarum aliarumque rerum veterum

terum peritiam comparandam nihil operæ impensum: idque quod quasi adorarentur præsentis tunc ævi tantum non omnia. Non male de doctrina illa Erasmus præfatione in Hieronymum ad Archiepiscopum Cantuariensem scripsit. *Neglecta bona litera, fastidita Græcanici sermonis peritia multoq; magis Hebraici, spreto eloquentia studium, quin & ipsa Latina lingua sic conspurcata est subinde novâ barbarie ut jam nihil minus esset quam Latina, nec Historia nec Geographia nec antiquitatis ulla cura.*

Hæc ratio autem cœnobiticarum istarum quidem scholarum fuit, non tertio decimo duntaxat sed etiam integris sequentibus duobus seculis, imo usque ad patrum memoriam & amplius. Tandem verò ipsiusmet Ignatii Lojolæ prudente instituto, secus quam factum fuerat à Dominico Francisco & aliis, planè nova disciplinæ facies exorta est in Jesuitici Sodalitii scholis: quas etiam ipsas dixeris meritò cœnobiticas. Etenim in illam institutionem ultrâ Societatis tyrones quilibet recipi solent, & literæ humaniores primæ ætati sic satis diligenter proponi. Philosophia etiam & Theologica studia longè feliciùs quam in ullis monasteriorum scholis hætenus factum, excoluntur. Ut tamen etiam hîc desint haud pauca ad justam scholarum ejusmodi perfectionem.

## SUPPLEMENTVM XLIV.

Ad pag. LXXXIX.

**Q**Uæ in Dissertatione adducta sunt varia Decreta de Scholis per Episcopia instituendis, omnia surdis sunt auribus excepta. Eiusdem argumenti est integrum Caput XIX Sessionis XXIII Concilii Tridentini; sed nec illud quæ par erat reverentia ubivis est observatum: nisi quod in Germania plærisque Episcopalibus sedibus Collegia quæ appellantur Jesuiticæ Societatis, vice scholarum, sint ex eo tempore adjuncta, alicubi & Academiæ additæ.

SUPPLE-

Ad pag. LXXXIX.

SCholas cum Episcopiorum tum Monasteriorum veterum  
 Spost annum millesimum sensim per omnem Europam  
 defecisse, liquidum est ex monumentis ævi illius. Sensim  
 ajo id factum esse, non uno tempore aut omnibus in locis:  
 tandem tamen utrobique scholæ omnes extinctæ sunt, ma-  
 nente inter cathedrales Canonicos solo inani *Scholastici* no-  
 mine & dignitate. Digna memoratu sunt de Scholastici  
 illa vana appellatione Alberti Krantzii dicta, quæ l. VII c. 14  
*Wandalia* posteritati reliquit. *Erat is* (Albertus, tempore Inno-  
 centii IV ad Concilium Lugdunense Livoniensis Episcopi  
 legatus) *pridem Scholasticus in Ecclesia Bremensi, vir omni lite-*  
*rarum genere doctissimus: quod illa tempestate, necdum crebrescen-*  
*tibus publicis Academiis, apud insignes Ecclesias, qui nunc dure*  
*Scholastici tum vocabantur Magistri, docentes in omni literarum*  
*genere, in cunctis ingenuis & præclaris artibus. Ætate nostra Scho-*  
*lastici officium nullum est, nisi collectas pauperum scholarium in usus*  
*mensæ suæ vertere, ut pro se vicarium laborantem cogat insigniter*  
*esurire.* Digna etiam sunt hîc legi, ea quæ Henrico IV Impe-  
 rante annotavit Auctor Apologiæ pro Casare illo tunc scri-  
 ptæ adversus Gregorii septimi Papæ Epistolam aliosque;  
 est autem, ceu non male judicavit Goldastus, Waltramus  
 Episcopus Naumburgensis. Habentur illa *Tomo primo*  
*pag. 228 Germanicarum rerum scriptorum à Marquardo Frehero*  
*editorum, & l. 2 c. 42 Apologiæ, prout illam distinxit Goldastus,*  
*cumque aliis scriptis addidit Replicationi pro Imperio.*  
*Novimus quidem, inquit ille, domesticam institutionem ejusmodi*  
*monachorum, quam verè possimus assimilare siliquis porcorum, de*  
*quibus non potuit ille saturari, quem dicit in Evangelio Dominus*  
*adhæsisse uni de principibus hujus seculi: postquam dissipavit por-*  
 tionem

Vu

tionem



tionem paterna substantia, tradens naturale ingenium luxui atque desidia: quum ad imaginem Dei factus sit homo, in intellectu (scilicet, in mente) in interiore homine (in eo quod intelligit veritatem, dijudicat justitiam & injustitiam, & novit à quo factus est) potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum. Quam scilicet intelligentiam habet, qui prudentiam habet: alioqui pater mendacii Diabolus aufert à cordibus hominum Dei veritatem, aufert Dei imaginem, & imprimit apostasiae suae & mendacii imaginem. Quum enim à ceteris animantibus per hoc maxime differamus, quod rationale animal sumus, & loqui possumus: ratio autem omnis & sermo divinis libris continetur, per quos & Deum discimus, & quare creati simus non ignoramus: mirandum est valde, quod nolunt aliqui, praecipue autem Monachi, quae praeclara sunt discere: qui ne pueros quidem vel adolescentes permittunt in monasteriis habere studium salutaris scientiae; ut scilicet rude ingenium nutriatur siliquis damoniorum, quae sunt consuetudines humanarum traditionum, ut ejusmodi spurcitiis assuefacti non possint gustare, quam suavis est Dominus, qui dicit in Evangelio de talibus; *Vae vobis scribae & pharisaei, hypocrita, qui tulistis clavem scientiae: vos enim, inquit, non intratis nec finitis introeuntes intrare.* Igitur ignoratio divinarum Scripturarum ignoratio est Christi, qui dicitur virtus Dei & sapientia Dei. Mitto reliqua: etsi & illa sint perquam eximia.

Perierunt vero sensim scholae non tantum in caenobiis veterum Benedicti regulae sequacium, quorum mores degeneres perstringentem modò audivimus illum Apologiae scriptorem, sed illorum etiam qui morum istorum reformationem amplexati sunt Cluniacensium, Cisterciensium. Clavauensium aliorumque in universum omnium: etsi circa initia visi fuerint eorum quam multi sic satis magno studio etiam sacrae doctrinae incumbere,

Ad pag. xc.

**A**nte seculum duodecimum neminem claruisse Parisiensis  
 scholæ Theologorum, videtur inde etiam posse intelli-  
 gi, quoniam eorum nemo memoratur in libello de Scripto-  
 bus Ecclesiasticis Sigeberti Gemblacensis in Brabantia mo-  
 nachi, diligentissimi & pro temporis captu doctissimi  
 chronographi: quem tamen librum scripsit jam initio duo-  
 decimi seculi. Qui hunc Sigeberti libellum autem excepit  
 eodem argumento Henrici Gandavensis ita loquitur c. 14.  
*Mauritius Episcopus Parisiensis, in eadem civitate Theologica*  
*scholæ rector. c. 15. Petrus Cantor Parisiensis, & ipse etiam Theo-*  
*logica scholæ rector. c. 16. Petrus dictus Abeilardus, dialectica peri-*  
*tia, imò omnium liberalium artium insignis, Theologica scholæ rector.*  
*c. 17. Gilbertus cognomento Porreta ex magistro Theologica scholæ*  
*Parisius Pictaviensis Episcopus. c. 18. Joannes Beletus & ipse Theo-*  
*logica scholæ rector Parisius. c. 24. Simon Tornaci oriundus, ex Dia-*  
*lectico subtilissimo, imò omnium liberalium artium fere sui temporis*  
*peritissimo, Theologica etiam scholæ Parisius cathedram meruit ascen-*  
*dere magistralem, in qua plurimos habuit auditores c. 27. Stepha-*  
*nus natione Anglicus, Parisius liberalium artium scholis præfuit,*  
*inde Theologica scholæ præfuit Theologiam celeberrime docuit.*  
 cap. 31. *Petrus Lombardus Theologica scholæ præfuit.* Forte  
 iustâ temporis serie hos omnes haud enumeravit Henricus:  
 nam Miræus quidem in scholiis narrat, in Episcopatu succes-  
 sisse Petro Lombardo Mauritium illum qui c. 14 memora-  
 tur: omnes tamen hi floruerunt seculo Christiano duodecimo.  
 Idem Henricus porro c. 21 ait: *Alanus Insulis oriundus, libe-*  
*ralium artium peritus Parisius Ecclesiastica scholæ præfuit: sed for-*  
*te illa Ecclesiastica schola diversa fuit ab Academica. Est au-*  
*tem Alanus is de quo vetus superest barbarus versiculus,*

V u 2

Qui

*Qui tria, qui septem, omne qui scibile novit.*

Quicquid sit de Alano, reliqui plus satis ostendunt, jam tum seculo duodecimo scholam Theologicam Parisiensem multum floruisse. De ipsa illa tempestate Parisiensis scholæ hæc fuerunt verba Jacobi de Vitriaco Historiæ Occidentalis cap. 7. *Fons hortorum, & puteus aquarum viventium, irrigans universæ terræ superficiem, panem delicatum & delicias præbens Regibus, & universæ Dei Ecclesiæ supernum mel & favum ultra dulciora propinans*, Digna tamen etiam sunt lectu, quæ idem Jacobus annectit de malis Parisiensium cum magistrorum tum Studiosorum moribus ac diffidiis.

Quantumvis autem frequentiam hominum jam seculis istis abundaverit Parisiensis schola, & Reges ipsos habuerit faventissimos, mirum tamen est, vix superesse ex ævo isthoc scholæ à Regibus concessa privilegia. Et vero prodiit in lucem Lutetiæ Parisiorum anno hujus seculi vicesimo quinto libellus hoc titulo: *Privileges donnez & octroyes par les Roys de France, scavoir Philippes de Valois, Charles V, Charles VI, Charles VII, Louys XI, Charles VIII, Francois I, Henry IV, & Louys XIII à l' Université de Paris, supposos, officiers, & Serviteurs d' icelle. En semble les Arrest du conseil privé, confirmatifs des dits privileges*, Nisi forte singularem in usum hæc sola sint vulgata.

SUPPLEMENTVM XLVII.

Ad pag. xci.

**I**Nter multa Collegia quæ vocantur Parisiensis scholæ, quoniam id quod Navarra audit est nobilissimum, legi hic merentur quæ de illo narravit Joannes Mariana Hispanicarum rerum disertissimus scriptor Tomo 1. lib. 14. cap. x. *Regine impensa in eadem urbe Lutetia, schola quæ Navarra dicitur, ipsa ædificii amplitudine praeceptorum auditorumque numero in paucis præstans, extructa est. Septingentos alumnos bonis temporibus Gallie intra*

intra unas aedes habitantes numerasse fama est. Rebus turbatis vix quingenti erant (quo nos tempore scholas theologicas Lutetiae explicabamus) quidam eorum publica impensa collegii, plarique collata de suo stipe victitantes. Multa quidem etiam dignissima scitu in promptu sunt de aliis etiam collegiis, cum primis de illo longe celeberrimo, quod Robertus Sorbona Ludovico Rege instituit & nunc quoque illius gaudet cognomento: sed isthæc omnia adferre præter institutum fuerit.

## SUPPLEMENTVM XLIIIX.

Ad pag. xcii.

Quod diximus de Ottone Frisingense Episcopo, pridem tradidit etiam Radevicus l. 4. c. 2. de gestis Friderici I. Imperatoris, quod nempe Philosophicorum librorum subtilitatem, in Topicis Analyticis atque Elenchis, primus ferè nostris finibus apporverit. Ideoque in gloriam viri illius merentur à grata posteritate legi, quæ ipsemet Otto de Gilberto Porretano & Abælardo differit l. s. Chronici cap. 46 & sequentibus usque ad 53: utpote quæ specimen simul aliquod præbeant nonvulgaris in subtiliore Philosophia progressus. De illo porrò Ottone ita annotavit antiquus quidam scriptor apud Wiguleium Hundium in Metropoli Salisburg. pag. 155: Ad Parisios missus, Latinas literas ad præmium nactus Theoria atque secularis prudentiæ: i. e. Artium liberalium Magister ac S. Theologiae profundissimus ac eloquentissimus Doctor effectus est. Dubito tamen, an huic narrationi tutò liceat fidem habere.

Cæterum ea quidem ætate Aristotelicum nihil præter libros Logicos, & ne illos quidem omnes, Latine fuerat versum: nec alia veterum Philosophiæ auctorum scripta præterquam unius Boëthii, Græcum verò nihil, fuerunt in manibus: quapropter nec ultra illa Logica excurrit ejus tempestatis Philosophica eruditio, quamvis ad altiora ingenium nonnullis haud defuisse

fuisse ostendat is qui etiamnum superat Gilberti Porretani  
 de *Sex Principiis* libellus. Non possum non hoc loco ad-  
 dere, quod Rigordus in *Chronico de gestis Philippi Augusti Fran-*  
*cuorum Regis* narrat, in historia annorum MCCVII & IX pag.  
 208 editionis Wecheliana. *In diebus illis legebantur Parisiis li-*  
*belli quidam, ab Aristotele, ut dicebantur, compositi, qui docebant*  
*Metaphysicam, delati novè à Constantinopoli, & à Græco in Lati-*  
*num translati: qui quoniam hæresi prædictæ (Almarici scilicet de qua*  
*paulo ante multa narraverat) sententiis subtilibus occasionem*  
*præbebant, imò & aliis nondum inventis præbere poterant, iussi sunt*  
*omnes comburi; & sub pœna excommunicationis cautum est in eodem*  
*Concilio (Parisiensi nimirum, contra Almarici sectatores tunc*  
*habito) ne quis eos de cætero scribere aut legere præsumeret vel quo-*  
*cunque modo habere. An fuerint tunc circumlati Aristotelis*  
*nomine falsò inscripti libri Metaphysici, an in genuinos ita*  
*fuerit sævitum, non equidem audeo definire. Videtur ra-*  
*men posterius magis verisimile. Refert enim doctissimus*  
*Naudæus libello de Edicto Ludovici XI Regis contra No-*  
*minales, ex Alexandri Nekani libro de Naturis rerum, Lo-*  
*thario secundo Imperante nonnullos Ecclesiasticos & Reli-*  
*giosos existimasse, libros Aristotelis à solo Antichristo le-*  
*gendos & intelligendos esse, quippe qui iis esset usus ad*  
*convincendos vel subtilissimos disputatores atque doctores.*  
*Et verò ipsum quoque Bernhardum iusto iniquiorem fuisse*  
*subtiliori Philosophiæ, haud obscure indicat Otto Frisingensis*  
*noster in Gilberti Porretani, quem non minùs atque Petrum*  
*Abælardum fuerat insectatus Bernardus, defensione. Legi*  
*de hoc argumento meretur libellus Launoyi Sorbonici Theo-*  
*logi, quem inscripsit de variâ Aristotelis fortuna in Academia Pa-*  
*risiensi.*

Ad pag. xcii.

Quoniam verba Rigordi omnia digna sunt quæ hîc commemorentur, adscribam comma istud integrum. *In diebus illis (Philippo nimirum Augusto Rege) studium literarum florebat Parisiis: nec legimus tantam aliquando fuisse scholarium frequentiam Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum studendi gratiâ incolebat. Quod non solum fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem & bonorum omnium superabundantem affluentiam, sed etiam propter libertatem, & specialem prærogativam defensionis, quam Philippus Rex & Pater eius ante ipsis Scholaribus impendebant. Cum itaque in eadem nobilissima civitate non modò de Trivio & Quadrivio, verum & de quæstionibus Juris Canonici & Civilis, & de eâ Facultate quæ de sanandis corporibus & sanitatibus conservandis scripta est, plena & perfecta inveniretur doctrina; ferventiori tamen desiderio sacram paginam & quæstiones Theologicas docebantur. Subjungam non nihil eorum quæ addit Rigordus de Almarico. Fuit igitur in eadem sacra facultate studens quidam clericus Almaricus nomine, de territorio Carnotensi villâ quæ Bana dicitur oriundus: qui cum in arte Logica peritus esset, scholasq; de Arte illa & de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram paginam excolendam: semper tamen suum per se modum docendi & discendi habuit, & opinionem privatam, & judicium quasi sectum & ab aliis separatum. Hæc omnia Rigordus, testis ejus temporis rerum locuples.*

SUPPLEMENTVM L.

Ad pag. xciii.

Ante Honorii Papæ edictum, cujus meminit Dissertatio, jam seculo duodecimo Juris Civilis Romani studium Parisiis quoque fuisse cultum, vel illa doceant quæ modò ex Rigordo attulimus. Confirmatur idem eo, quod de Udalrico

rico Abbate monasterii S. Galli refert *l. de Casibus* illius monasterii Conradus de Fabaria *cap. 5* scribens: *dulciloquis Grammatica & Dialecticæ floribus informatum Parisios & Bononiam transmisit; jurisque peritia cum summa diligentia reparatum, omnibusque bonis confirmatum, ad summa provexit. Et paulò post: in Iure forensi & Ecclesiastico, quicquid excogitare poterat, faceto Minerva poculo cunctis audientibus propinavit. Quid? quod si Petrus Bælardus idem est cum Petro Abælardo, is quoque Parisiis ut Philosophiam ac Theologiam ita & Jurisprudentiam docuit. Accursius enim ad *l. Quinque pedum c. fin. regund.* hæc verba reliquit. *Quanam esset ea præscriptio, Petrus Bælardus, qui sanum cujusque legis intellectum pollebatur, hîc dixit nescio.**

## SUPPLEMENTVM LI.

Ad pag. xciv.

**N**isi valde fallimur, fecimus Libri de Origine Juris Germanici capite vicesimo primo clarissimum, Jus Romanum Justinianicum Bononiæ cæpisse doceri, Imperatore quidem Lothario Saxone, non tamen illo jubente, velexejus auctoritate. Hîc adducemus duntaxat verba Abbatis Urspergensis, qui vixit tamen Friderico II Cæsare. *Eisdem quoque temporibus Wernerius libros Legum, qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in iis studuerat, ad petitionem Mathildæ Comitissæ renovavit, & secundum quod olim à divæ recordationis Imperatore Iustiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis, eos distinxit. In quibus continentur Instituta præfati Imperatoris, quasi principium & introductio juris civilis: Edicta quoque Prætorum & Ædilium curulium, quæ rationem & firmitatem præstant Iuri civili, hæc in libro Pandectarum, videlicet in Digestis, continentur: additur quoque his liber Codicis, in quo Imperatorum statuta describuntur. Quartus quoque liber est Authenticorum, quem præfatus*

præfatus Iustinianus ad suppletionem & correctionem Legum Imperialium addidit. Bartolus ad 2 Constit. Digest. vet. pag. 6 ita loquitur: Habere Studium vel licentiam docendi procedit ex privilegio tantum, vel ex consuetudine longissimâ. Sicut Paduæ: ubi est Studium generale ex consuetudine: & sic eadem privilegia sunt ibi qua sunt Bononiæ; ubi est Studium ex consuetudine & privilegio Lotharii Imperatoris, ut dicunt quidam. Quæ verba indicant, à nonnullis quidem tunc temporis fuisse perhibitum, Lotharium Cæsarem facultatem docendi Bononiensibus concessisse, simul tamen jus illud nisi consuetudine: ast illud de Lothario non nisi à quibusdam dici, atque adeo à Bartolo ipsomet non fuisse certò creditum.

Verosimilius longe est, à Friderico I Imperatore, facultatem Jus Romanum illud docendi, fuisse Bononiensibus confirmatum. Et vero tradit hoc Auctor Ephemeridum eruditorum, scriptor Gallicus, Ephem. VII Anni sexagesimi quinti: sed præter illum hætenus nemo. Nec fidem meretur, quoniam & reliqua quæ addit de Jure Romano jussu Friderici in fora Italiæ & Germaniæ recepto futilia sunt.

Jam tum autem, Friderico illo Cæsarem Germanicorum fortissimo imperante, Romanorum Jus docuisse Bononiæ illos quos Dissertatio laudavit, vetat dubitare Otto Muræna Chronologiæ Laudensis scriptor coævus; cujus verba adducit in historia anni 1558 libro XII Annalium Baronius. Recitabimus ipsamet illius verba. Hoc anno Dominus Imperator Fridericus in Roncalia colloquium in S. Martino proximo veniente maximum se constituit habiturum: præcepitque omnibus ferè Italiæ Principibus atque Civitatum Consulibus, ut ipsi colloquio interessent. Ad quod etiam principales quatuor Legis Doctores, videlicet Dominos Bulgarum & Martinum Gostum Jacobum atque Hugonem de Porta Ravennana, interesse fecit. Istorum autem quatuor Docto-



rum & quamplurimorum aliorum fuit Dominus Guarnerius doctor antiquior. Ad quem, cum in extremis laboraret, accesserunt sui scholares, dicentes: Domine, quem vultis post mortem vestram doctorem nobis constituere? Quibus ipse respondit per duo carmina infra scripta: quæ qualia qualia non piguit retulisse.

*Bulgarus os aureum: Martinus copia Legum:*

*Hugo mens legum: Jacobus est quod ego.*

In majorem fidem addemus & illa, quæ de eodem negotio narrat Radevicus l. 2 cap. v, præsertim quia & alia continent jucunda perceptu. *Sequentibus*, inquit de Friderico Imperatore, *diebus plena atque solenni curia, iudicio atque iustitia à mane usque ad vesperam intentus, querimonias & proclamationes tam divitum quam pauperum diligenter audiebat. Habens q. quatuor iudices, (quid iudicum vocabulo tunc Itali intellexerint, infra docebimus) videlicet Bulgarum, Martinum, Jacobum, Hugonem, viros disertos, religiosos, & in lege doctissimos, Legumque in civitate Bononiense doctores & multorum auditorum præceptores; cum his aliisque legisperitis, qui diversi ex diversis civitatibus aderant, audiebat & terminabat negocia. Videns autem multitudinem eorum qui crucem bajularent (is enim Italarum mos est, ut habentes querelam crucem manibus præferant) misertus illorum ait; mirari se prudentiam Latinorum, qui cum præcipue de scientia Legum gloriarentur, maxime Legum invenirentur transgressores, quamque sint ænaces iustitiæ sectatores in tot esurientibus & sitientibus iustitiam apparere. Hæc illi. Ipsa Bononia quantam tunc existimationem sibi comparaverit ex Legum illo studio, vel unum illud doceat præconium, quod Ligurini l. 9 de Friderico illo agens habet Guntherus.*

*finesque Bononia iuris  
Ingreditur studiosa tuos.*

Ad pag. xcvi.

**D**E Aristotelis libris ex Arabico, curante Friderico II. versis, non est quod hic addamus quidquam, præter illud, quod opus Politicum Aristotelis apud Arabes non fuerit re-  
 pertum ac proinde nec cum aliis Latinè versum. Id quod jam pridem docuimus Introductione in Politica Aristotelis. Verum autem esse id quod hic affirmat Dissertatio de scripto-  
 ribus Philosophicis & Medicis ex Arabum lingua tunc tem-  
 poris translatis, lubet hoc loco astruere testimonio duorum duntaxat insignium illius literaturæ virorum, Josephi Scali-  
 geri & Johannis Seldeni. Illius hæc verba sunt epistola ad Stephanum Ubertum, quæ est operis epistolici posthumi 362:  
*Florentibus Arabum rebus, summa meliorum literarum imperitia in  
 tota Ecclesia Latina erat: quum bonæ disciplinæ inter Mahumeda-  
 nos maximè vigerent. Et profecto quicquid Latini scripserunt post-  
 quam illos inscitia suæ monuit Arabum industria, id totum Arabi-  
 bus acceptum debent; Philosophiam Medicinam & Mathematica.  
 Nam nullum Græcum scriptorem habuerunt, quem non ex Arabica  
 in Latinam translatum legerint. Ptolemæi Magnam Syntaxin prius  
 ex Græca Arabicam, ex Arabica Latinam factam tractare cæperunt.  
 Sic Euclides Arabice, deinde Latinè conversus, tamdiu inter nos ob-  
 tinuit, donec capta Constantinopoli exules Græci nos relictis lacunis  
 ad ipsos fontes convertere docuerunt. Seldenus in Commenta-  
 rio ad Origines Eutychiei Patriarchæ Alexandrini ab sese  
 Arabice Latinèque editas, in hæc verba est pag. 156 locutus:  
*Scientiæ Liberales riteque institutæ diu vocari solebant à nostris  
 Studia Arabum & Arabica studia veluti denominata à gente  
 ac locis ubi tunc solum seridè colebantur. Id etiam liquet ex præfatio-  
 ne Adelardi Monachi Bathoniensis, Athelardi item dicti, in Quæ-  
 stiones suas Naturales, quas ex Arabum Scholis redux in Angliam  
 conscripsit.**

conscript. Hac de re item consulas Guilielmum Malmesburiensem de Gestis Regum in lib. 2 cap. 10. Floruit ante quingentos Athelardus ille abhinc annos, (Henrico primo in Anglia regnante) & primus Euclidus Elementa Geometrica Latine vertit, sed ex Arabico (quorum exemplar MS. penes me habeo) uti & alia Mathematica. Nam seculis in illis, ut & diu post, non ex Græco fonte, sed ex Arabicis versionibus Latine, sed barbarè nimis redditus, Platonis ac Aristotelis pleraque, Ptolemæum item, Hippocratem, Galenum, Euclidem, id genus alios habebant Academici Occidentales. Et Avicennas tandem Averroes Alfarabios versos. Nec verò Themistios Philoponos Alexandros Simplicios omninò legebant; quos nec habuere, uti nec alios fermè autores Græcos, antequam, post captam à Muhamede secundo Constantinopolim anno Christi 1453 Græci aliquot scientiores eorum exemplaria, in Italiam Galliam ac Germaniam profugi, secum asportabant. Latine autem versi erant libri illi Arabici, in Academicorum gratiam, sub Lothario Saxone & Frederico Enobarbo circa annum 1140. Quo tempore Alcoranus in Hispania primò item Latine redditus est; à Robertonempe Retenensi Anglo & Hermanno Dalmata, qua de re videsis Petrum Cluniacensem in Bibliotheca Cluniac. pag. 1010. & Balæum Cent. 2 Script. 80.

## SUPPLEMENTVM LIII.

Ad pag. xcviij.

**Q**VÆ de numero Professorum Bononiensium refert Dissertatio, illa acceperam à Fortunio Liceto summi nominis tunc temporis Philosopho in Academia Patavina: qui cum frequens & amicum mihi erat literarum commercium. Quod gratitudinis ergò hic memoro, erga virum de Philosophia aliisque studiis nonnullis præclare meritum.

## SUPPLEMENTVM LIV.

Ad pag. ci.

**G**Ariopontum seculo jam undecimo vixisse, præter aliam quam

quam multa docuit vir variâ doctrinâ eximius, Thomas Reinesius in *Defensione suâ Variarum Lectionum* pag. 143 § 155, ingenue emendans nonnulla quæ scripserat l. 3 Variarum Lectionum cap. 2 & 12. Ibidem præclara haud pauca adfert de ipsamet Schola Salernitana, quæ proinde merentur attentam lectionem; etsi schola illa omnis pridem interierit, idque quantum videtur annitentibus Neapolitanis Gallicæ stirpis Regibus.

SUPPLEMENTVM L V.

Ad pag. cxi.

**O**rdinis vox olim apud Romanos fuit valde communis. Et vero Ordo senatorius, Ordo equestris, Ordo plebejus, nomina sunt jam veteri Romæ cognita. Cicero quoque memorat l. X. *Familiar. epist. 9 ad Crassipudem* Ordinem publicanorum. Servius ad illud Virgilii

*delectos Ordine ab omni*

*Centum oratores augusta ad munia Regis*

*Ire jubet:*

illud ordine ab omni scribit esse, ex omni qualitate dignitatum: quod apud Romanos in legatione mittenda hodieq. servatur. A libi memorantur Ordo Sacerdorum, Ordo haruspicum, aliique, κατ' ἐξουσίαν tamen & nullo addito, Jurisconsultis Ordo audit Ordo decurionum: quapropter ubi de probatione per Ordinem instituenda agitur pene soli decuriones intelligendi videntur.

SUPPLEMENTVM LVI.

Ad pag. cxii.

**P**linius *epistola 66 l. X* haud obscure indicat, jam tum, Trajano scilicet imperante, Philosophis fuisse concessam civilium munerum vacationem. Hanc autem deberi beneficio Vespasiani, discere est ex verbis Charisii in *Dissertatione* adductis. Forte verò Domitianus ut Rhetoribus ita

Xx 3

& Phi-

& Philosophis eripuerat hoc paternum beneficium, utpote quos urbe expulerit; reddidit vero Trajanus. Etenim hunc Plinius in Panegyrico hisce verbis allocutus est. *Quid vitam, quid mores iuventutis, quam Principaliter formas! Quem honorem dicendi magistris, quam dignitatem sapientiæ doctoribus habes! Ut sub te & spiritum & sanguinem & patriam recuperent studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum sibi omnium vitiorum conscius Princeps inimicas vitii artes non odio magis quam reverentiarelegabat. At tu easdem artes in complexu, oculis, auribus habes.* Videtur autem Antoninus Pius Philosophis iterum pristinam immunitatem negasse, satim perper Asiam: nec enim in illa ejus Constitutione quam pag. 113 Dissertationis Modestini verbis produximus, ulla fit inter eos qui immunitate possint gaudere Philosophorum mentio. Memorat tamen idem Modestinus, Philosophos immunitate tutelarum ab Antonino Pio, à Marco autem non minùs quàm Rhetores Grammaticos & Medicos multis privilegiis fuisse affectos. Quæ verba itidem recitavimus pag. 113. Cæterùm Severo Imperatore, nisi fallar, irrisi & ludibrio quodammodo sunt Philosophi affecti, per eam Constitutionem quæ ex Papiniano translata est in Titulum Pandectarum. *De muneribus & honoribus l. 8. §. 4.* Ita enim illa loquitur. *Philosophis, qui se frequenter atque utiles per eandem studiorum sectam contendentibus præbent, tutelas item munera sordida corporalia remitti placuit: non ea quæ sumptibus expediuntur: etenim verè philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinenda cupidine fidam adseverationem detegunt.* Notandum verò, solos Stolicos tunc voluisse videri opes spernere: alia sane mens fuit scholæ Peripateticæ. Quin imò non multò post videtur omnis immunitas Philosophis erepta. Diserte enim *tit. de Decretis Decurionum l. XI Codicis Justiniani* Diocletianus & Maxi:

& Maximianus ita caverunt: *Exceptis qui Liberalium studiorum antistites sunt, & qui medendi curâ funguntur, decurionum decreto immunitas nemini tribui potest.* Nec enim inter illos alii videntur tunc numerati quàm Grammatici & Rhetores. Fortassis autem à Triboniano Philosophi omitti sunt, quia illo tempore erant & rari & contempti.

## SUPPLEMENTVM LVII.

Ad pag. cxvi.

Quæ de Medicorum probationibus diximus, dubito num recte sese habeant. Diserte enim Symmachus *l. 1 ep. 26* de Medicis inquit: *Lege cautum est, ut primi artis ejusdem de novorum scientiâ judicarent.* Atque ita longe aliter fuerint intelligenda, quæ ad Olybrium Præfectum Urbis rescripserunt Valentinianus & Valens. Et verò cum Roma non habuerit Decuriones, saltem de illo Ordine Imperatores non sunt hîc loquuti. Primi porro *Artis* videntur Symmacho dicti qui aliàs Archiatri audierunt: quod fateor rectè monuisse Pancirollum *l. 2 c. 45*: mutata scilicet de Archiatri sententia nostra pristina: prout jam tum fecimus in Supplemento XXVII. Quæ Medicorum autem, eadem isthac tempestate videtur fuisse conditio Philosophorum. Disertè enim satis id ipsum significant quæ pag. III verba adduximus Valentiniani & Valentis Imperatorum: *Reddatur unusquisque patriæ suæ, qui habitum Philosophiæ indebite & insolenter usurpare cognoscetur: exceptis his qui à probatissimis approbati ab hac debent collusione secerni.* Ex quibus verbis simul hoc tamen etiam discere est, non omnes habitu Philosophico tunc amictos ante illius habitus assumptionem probari solitos, sed spontaneo arbitrato vulgò id fuisse factum. In Iuliani etiam Imperatoris constitutione *Ordinis* voce intelligendos ipsos *magistros studiorum*; ut *Curiales* de-

mum

num sint Decuriones, non amplius multum repugnabimus. Et vero cum Advocatos probari à suæ Juridicinæ magistris mos tunc fuerit, quidni etiam circa alios id fuerit observatum? Sed & jam tum Supplemento XIII adducta sunt verba S. Augustini, quæ non obscure indicant, sese à Symmacho Urbis Præfecto Mediolani constitutum fuisse Professorem Rhetoricum, *dictione proposita probatum.*

Legi vero majoris illustrationis causâ heic merentur, quæ etiam de Advocatorum probatione olim fuerunt constituta *l. 9 nemini Codic. de Advocat. divers. judicior.* Quicumque nimirum patroni causarum munus ambiebat, docebat primo apud Præsidentem Provinciæ se cohortalem non esse i. e. non obnoxium Præsidentis apparitioni: mox jurabat Antecessor, a quo erat institutus in Legum doctrina, illum juris peritiâ satis esse instructum. Addere operæ pretium est heic annotata à Pancirolo *l. 1. variar. lection. c. 26* de tabellionum creatione. *Legitur in quadam Leonis Philosophi Novella, ex certo corpore tabellionum eruditiores & vita integritate probatiores ex collegij sententia electos fuisse, qui LX libros Basilicon & XL Titulos Encheiridij tenerent. Eos autem ephestrade indutos ad Præfectum Urbis perductos fuisse, jurantibus his qui elegerunt, se nulla ambitione vel gratia motos electionem illam fecisse. Mox in Auditorio Præfecti Urbis annulo signatorio accepto ad Tabularij gradum promotos, inde ad templum perductos fuisse, ubi pro ephestrade à Sacerdote album phetonium, recitatis quibusdam precibus, accipiebant. Postremò omnes simul convivatos esse. Quæ aliquam in creandis Doctoribus nostris habent similitudinem. Hactenus Pancirollus.*

## SUPPLEMENTVM LIIX.

Ad pag. cxvii.

**E**Xcerptum illud Phorianum Olympiodori docet, Pallium Sophisticum, quo de ibi agitur, non fuisse duntaxat Rhetorum

torum sed etiam disciplinæ illius studiosorum habitum. Quod dignum est observatu, quoniam Pallium aliàs habitus quasi proprius fuit Philosophorum. Fortè autem Athenis duntaxat Sophisticum aliquod juvenile pallium fuit, & non nihil à Philosophico diversum. Non enim etiam aliis adscribi illud solet. Illam sane raritatem arbitror movisse Photium, quare ad vitam Isidori Philosophi à Damascio conscriptam, cum dixisset Damascius de semetipso: *λόγοις Ἰπιδεικνύμην πρὸς πρῶν, τὴν δὲ ῥητορικὴν τρέβωναι περὶ μέγρο*: cum curâ notaverit, fuisse tunc temporis & pallium aliquod *Rheticum*. Nec verò hoc Rheticum pallium aliud fuit ab eo quod Olympiodoro audit *Sophisticum*.

## SUPPLEMENTVM LIX.

Ad pag. cxvii.

**I**Am tum Supplemento XII ex S. Augustino notavimus quædam, de petulantia ejus ætatis studiosorum juvenum, & Carthagine & Romæ usitatâ. Notantur porrò Canone 71 Concilii Trullani quidam petulantes mores eorum juvenum, qui tunc temporis Constantinopoli Legum studiis dabant operam. Habitum autem est illud Concilium in Trullo Constantinopoli, imperante Constantino Pogonato, jam tertio post Justinianum seculo. Latine versus canon ille ita sese habet: *Eos qui docentur Leges civiles, Græcis moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, neque eas quæ dicantur κυλιστρος peragere, vel præter usum communem sibi vestes induere: nec quo tempore disciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus perveniunt, vel ut in summa dicam, in ejus doctrinæ dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere ausus fuerit, segregetur. Qui illi fuerint Græci mores, qualis in theatrum inductio, quæ vestium mutatio, qualis denique cylistra isthæc, nos fugit. Et verò etiam ipse Balsamo τὰ κυλιστρος tantum ex conjectura interpre-*

Yy

tatur:



tatur: quoniam nempe ejus ætate isthæc jam desierant. Si tantum verò est, licet hinc discere, fuisse talia factitata tunc & initio & fine imò & medio tempore studiorum Juris: quæ nempe ex Justiniani instituto certo annorum numero erant circumscripta. Perindigna autem fuisse illa omnia, indicat gravis delinquentibus indicta pœna. Ἀφορξέτω enim ait Canon: quod est, communione sacra excludi. Non abs re fuerit conferre quæ in Dissertatione pag. 122 annotavimus ex l. 3 Cod. de veteri jure enucleando. Enimvero, insignem etiam tunc fuisse peculantiam Juris studiosorum, simulque ipsis Professoribus fuisse illudum non solis juvenibus, & ludos istos in crimina transisse, ac proinde meruisse vindicari, Constantinopoli quidem à Præfecto Urbis, Beryti autem à Præside Phœniciaë maritimæ, Episcopo civitatis, & Legum Professoribus, liquet ex ipsamet Justiniani Imperatoris constitutione.

Haud inanis fortè suspiciò est, omnia hæc instituta quasi ad exemplum mysticarum initiationum: quales fuerunt olim non tantùm in Ægyptiorum, Græcorum, aliorumque gentilibus sacris, sed etiam in monachorum claustris, imò ipsis met ubique receptis Christianorum ritibus. Quam in rem quæ observavit Lucas Holsteinius ad vitam Pythagoræ pag. 71 editionis Londinensis, eximia sua eruditione promerentur, & legi & cum cura expendi ut reliqua omnia.

## SUPPLEMENTVM LX.

Ad pag. cxxiii.

**I**Am pridem à viris Ebraicè doctissimis ex Thalmudicâ Gemara ad Fit. Megilla, hæc fuerunt adducta: *Synagoga erant Hierosolymæ quadringentæ octoginta: in harum qualibet habebatur bibliotheca, & domus doctrine. Bibliotheca ad lectionem scripturæ sacræ: Domus doctrine qua doceretur Mischna. Has autem.*

autem universas sustulit Vespasianus. Idem ex Gittin memora-  
verunt, in urbe Bitter, quæ item cruentâ clade à Romanis  
perdita est, fuisse synagogas quadringentas, ut alibi alias. Et  
verò inprimis olim celebraræ Jafnensis, Zephoriana, Cæsa-  
riensis & Tiberiensis. De Bitterensi quæ narrant Judæi  
talia sunt, ut fidem non mereantur: singulas nempe synago-  
gas habuisse quadringentos magistros, & quemlibet magistro-  
rum quadringentos auditores. Reapse tamen magis insana  
sunt mendacia quæ jactant Judæi de suo R. Hillel & Rabbi  
Akiba. Illi nempe fuisse aliquot auditorum millia: quorum  
octoginta ita eminuerint, ut triginta fuerint digni divina  
conversazione ad instar Mosis, triginta alii digni in quorum  
honorem sol subsisteret Josuæ exemplo, reliquis excelsum  
nomen inter doctos obtinentibus: Akibam audivisse discipu-  
los viginti quatuor mille. Mitto similes alias Judæorum por-  
tentosas fabulas. Videtur autem, si non omnes illas syna-  
gogas veteres, quæ ita laudantur à Thalmudicis, saltim plæras-  
que, fuisse Pharisaicas: quoniam illa secta & Thalmudicos &  
reliquos post Judæos infecit. Non enim Sadducæi potue-  
runt admittere in scholis suis Mischnam, utpote quæ tota sit  
Pharisaica. In omnibus porrò paulò majoribus oppidis  
fuisse saltim aliquam synagogam, recte colligunt eruditi ex  
hisce verbis Tituli Megilla: *Quænam est civitas magna? Ea, in  
qua erant decem homines otii: si hoc numero minor, jam vicus est.*  
Homines nempe otii sunt doctores synagogici. Verùm  
non licet tutò Thalmudicis narrationibus fidere.

## SUPPLEMENTVM LXI.

Ad pag. cxxiv.

**N**otavimus in Dissertatione, sedisse quondam doctores  
Judaicos in cathedra editiore: auditores porrò sedisse  
in terra quasi ad pedes magistrorum, iam pridem à multis est

Yy. 2

obsere

observatum. Illustrabimus id ipsum uno duntaxat testimonio Ludovici de Dieu, viri in hac literatura magni, qui ad illa Actuum Apostolicorum XII, ubi Paulus ait sese educatum *ὡς τὴν πόδα γαμαλιήλ*, ita commentatus est. *Sedebat magister in loco editiore: discipulus dicebatur prostratus sive jacens in solo ad pedes magistri. Tamdiu dicebatur parvus, & tempus illud parvitas. Inde erat juvenis, neque vocabatur nisi nomine patris, Exempli gratia filius Simeonis. At post impositionem manuum, qua ad Rabbinitum promovebatur, appellabatur Rabbi David filius Simeonis. Hic dum esset socius magistri non amplius jacebat in solo, at nec sedebat sedente magistro, sed erat inclinatus sive in latus recumbens. At quum factus esset doctor Legis, vocareturque Magister noster Rabbi, sedebat quum alios juniores aut imperitos doceret, at stabat coram alio Rabbi sene. Hæc ille.*

## SUPPLEMENTVM LXII.

Ad pag. cxxv & sequentem.

**I**N Dissertatione diximus, Judæos olim suos magistros certis ritibus initiasse. Et verò primùm collocaverunt in cathedram: deinde tradiderunt iis clavem & pugillares: tertio imposuerunt manus: denique renunciaverunt eos Rabbinitum titulo. Digna lectu de hoc argumento congeffit Jacobus Altingius *l. de Ebræorum Republica scholastica pag. 106 & seqq.* Præclara etiam sunt quæ de hisce commentatus est vir perquam insignis Joannes Seldenus, in Commentario ad Eutychie Patriarchæ Ægyptii Alexandrinæ Ecclesiæ Origines n. x. pag. 18 & seqq. usque ad 23. Ut nunc silentio præteream dicta Josepho Scaligero, Cunæo, Buxtorfio, Grotio, Salmasio & aliis.

Quod porrò monuimus, à Judæis tradi; quasi olim Syndrii testimonium fuerit necessarium, illud ab Hillele esse institutum, docet Seldenus. Placet tamen etiamnum, id quod diximus nos in Dissertatione. Quæ

Quæ de verâ acceptione vocis νόμιμα & diximus confirmat illud quod Stobæus ferm. XLII ex Stoicis nescio quibus refert: νόμιμοι εἶναι ἄνδρα καὶ ἀκολαθητικὸν τῶ νόμῳ καὶ περὶ κτηνῶν τῶν ὑπὲρ αὐτῶ περιουσίῳν: Νομικὸν δὲ τὸν ἐξηγητικὸν τῶ νόμου. Merentur conferri quæ Grotius annotavit ad Matthæi cap. II v. 4. Quæ item nos annotavimus de insolente auctoritate quas suis Rabbiniis Judæi tribuere sunt soliti, illustrat præ aliis eximium in modum Joannis Frischmuti longe doctissimus libellus de eo: *utrum Ebræi statuunt, idem simul posse esse & non esse.*

## SVPPLEMENTVM LXIII.

Ad pag. cxxix.

PRæclara quædam de Synagogarum Decemvirali collegio notavit J. Saubertus, non tam generi nomine quàm eximia doctrina mihi multò acceptissimus, in opusculo subjuncto Dissertationi Panegyricæ de Studii lingua Ebrææ in Theologia utilitate & necessitate: interque ea; sextum illius collegii dictum esse *Ministrum synagoga publicum*, item *Nuncium Ecclesiæ* sive ἀγγελὸν τῆς Ἐκκλησίας, ut & *Inspectorem congregationis* aut Ἐπίσκοπον. De hoc scripsisse Maimonidem: *Non constituunt Ministrum synagoga, nisi qui sit excellens in cœtu sapientiâ & factis: & si sit senex tanto honoratior erit apud reliquos. Et operam sedulò navant, ut Minister synagoga acceptabilem habeat vocem, ipseque exercitatus sit in legendo. Si tamen barba ejus non sit plena, licet sit valde sapiens, Minister ille synagoga constitui non potest, propter reverentiam cœtus.* Secundum hanc doctrinam Episcopi Ecclesiæ non respondeant Archisynagogis, sed illis qui in Synagogico Collegio sexti fuerunt ordinis: reapse tamen Episcopi olim audierunt quoque περιετώπις sive antistites.

Ad pag. cxxxiv.

**B**ulla Gregorii IX Papæ, cujus quædam verba produxi-  
mus fide Naudæi, si integra prodiiisset hætenus in lucem,  
potuissemus multa certò constituere. Observari autem ex  
verbis adductis etiam hoc licet; jam tum Papali auctoritate  
constitutum *Cancellarium* aliquem, à quo dependeat honorum  
Doctoralium collatio. Et verò ad hoc Parisiensis Scholæ  
exemplum videntur passim ex eo tempore in eundem usum  
Academici Cancellarii cœpisse. Ut sanè antehac nullius  
Doctoralium honorum collationis, ita nec ulla Academici  
Cancellarii usquam reperitur memoria. Mirum verò, hu-  
jus Gregorianæ Bullæ nullam esse à Filefaco etiam factam  
mentionem, in libro perquam accuratè aliàs conscripto de  
Schola Theologica Parisiensi, editoq; Lutetiæ anno 1620.

SUPPLEMENTVM LXV.

Ad pag. cxxxv.

**Q**uæ Filefacus diseruit hac pagina Dissertationis, illa con-  
firmantur iis quæ de Petro Abælardo narravit Otto Fri-  
singenfis *l. i de gestis Friderici Imperatoris cap. 47.* Habuit  
primo præceptorem Rozelinum quendam; qui primus nostris tempo-  
ribus sententiam vocum instituit, & post ad gravissimos viros Ansel-  
mum Laudunensem & Guilhelmum Campellensem Catalauni Episco-  
pum migrans, ipsorum dictorum pondus tanquam subtilitatis acu-  
mine vacuum judicans, non diu sustinuit. Inde magistrum indu-  
ens Parrhisios venit, plurimum in inventionum subtilitate, non so-  
lùm ad Philosophiam necessariarum, sed & pro commovendis ad  
jocos animis utilium, valens. Ubi occasione quadam satis notâ non  
benè tractatus, monachus in monasterio S. Dionysii effectus est. Ibi  
die noctuque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de  
literato efficitur literatior: in tantum, ut post aliquod tempus ab  
obediens.

obediencia Abbatis sui solutus, ad publicum prodiret docendique  
 rursus officium assumeret. Differuit præterea eodem hoc de  
 argumento in Filefaci sententiam, & Joannes Launæus cu-  
 riosus ejusmodi rerum Parisiensis scholæ indagator, fabula-  
 rumque sacrarum complurium felix triumphator, libello  
 quem de Brunonis primi auctoris Carthusianæ disciplinæ se-  
 cessu in eremum conscripsit, nonnulla pag. 109 & 110: sed  
 prolixiora sunt quam ut huc transcribi possint, estq; ipse libel-  
 lus vulgò in manibus, certe meretur lectionem diligentem.

## SUPPLEMENTVM LXVI.

Ad pag. cxxxvi.

**P**urpureum galerum ab Innocentio id nominis quarto  
 Pontifice Cardinalibus esse concessum, non Massonus so-  
 lus sed etiam & pridem Martinus ac post Platina atque Onu-  
 phrius testati sunt. Platinae verba sunt: *Idem* (Papa scilicet  
 Innocentius) *bono consilio usus, Cardinalium sedes jam pridem*  
*vacuas, optimo quoque in collegium cooptato, replevit: statuitque, ut*  
*Cardinales equo in publicum vecti galero rubro uterentur, honestandi*  
*ordinis causa.* Ad quæ Onuphrius hæc annotavit. *Hic in vi-*  
*gilia Natalis Domini anno M CC XLIV. Lugduni in Concilio ge-*  
*nerali, duodecim Cardinalibus creatis, ejus ordinis hominibus pro-*  
*prium insigne pileum rubeum dedit. Auctor Martinus qui eo tem-*  
*pore vixit, in hujus Pontificis vitâ. Quo significabatur, eos etiam*  
*caput suum, si opus esset, pro Ecclesiastica libertate tuenda, gladio*  
*offerre debere: Et præsertim eo tempore, quo Romana Ecclesia à*  
*Friderico II Imperatore vehementer oppugnabatur. Reliqua ejus*  
*ordinis insignia posteriores Pontifices excogitarunt, in his præcipuus*  
*fuit Paulus II.* Hactenus Onuphrius Panvinius. Sunt qui ei-  
 dem Innocentio acceptum referunt Pileum purpureum  
 Doctorem: sed hactenus certum hujus rei argumentum  
 nullum reperi, Dicemus sententiam nostram Supplemento  
 proximo,

SUPPLE.

Ad pag. CXXXIIX.

IN Clementinæ à nobis in Dissertatione adductæ verbis dis-  
serta fit mentio Insignium Doctoratus; & quidem ita,  
ut appareat, tunc temporis fuisse illa in usu, & solenni ritu  
cum gravibus impensis *circa cibos vestes & alia recipi* tunc so-  
lita. Lata autem est illa Clementina in Concilio Viennensi  
sub Clemente V statim initio seculi decimi quarti. Ut pro-  
inde insignia Doctoratus aut Magisterii jam tum seculo præ-  
cedenti tertio decimo cæperint, non minùs atque eorum so-  
lemnes collationes, Ad illa autem Clementinæ verba hanc  
glossam adjecit Joannes Andreas magni nominis Bononiensis  
Jurisconsultus. *Ita loquimur nos. (Bononienses videlicet) Et  
ista Insignia sunt, Cathedra, Birretum: apud aliquos Liber, Annu-  
lus, Osculum. Ut proinde Bononiæ Cathedra tantùm & Birre-  
tum inter insignia Doctoratus fuerint numerata; in aliis au-  
tem Universitatibus observata & reliqua: quo quidem tem-  
pore vixit Andreas ille, quem constat obiisse anno 1346.  
Non contemnenda porro de Insigniis illis notavit & Guido  
Pancirollus Jctus Italus eleganter doctus l. 1 cap. 33 Varia-  
rum lectionum: quæ igitur etiam hic merentur legi. Nostro-  
rum Doctorum Insignia sunt Pileus quadratus, qualem Sacerdotes  
gerunt, ut *Justitia Sacerdotium in eos, qui creantur Jurisconsulti,  
translatum esse significetur: etsi in Italia hoc hodie in desuetudi-  
nem abiit. Item Annulus pro signandis responsis iisdem tradi-  
tur. Longa quoque vestis, qualem gestant sacerdotes: & Cathedra  
atque Liber, quæ ad indicandam, datam ad docendum & jura in-  
terpretandi facultatem, adhibentur. Osculum autem, quo Doctor  
creatus excipitur, est gratulationis porta, dignitatis demonstratio,  
non insigne. De quibus Glossa in Clement. 2 in verb. Insignia  
t. de Magistris, & ibi Canonista. Hæc Pancirollus: ubi tamen  
quo**

quo auctore hi ritus cæperint, non docet, fortè nec in aliis veritatem assecutus, uti mox patebit. Longe altiùs petita sunt quæ Nicolaum Peirescium, virum utiq; pereximium, de horum Insignium origine in Aquensi Academia differuisse, refert Petrus Gassendus *vita Peirescii l. 1. sine. Biduo post*, inquit, cum ornamenta Doctorea in Fratrem conferret, dici non potest, quæ suavitate auditores perfuderit. Scilicet ex statua quadam Metrodori, cum galero suo, seu Arcadico pileo, & infulis, cumque pallio Philosophico & annulo in sinistra manu: itemque ex statuâ quibusdam Hippocratis cum simili pallio epomideq; adjuncta: ex inscriptione quadam Eubuli Marathonii, & infulata statua non ad cervices sed circum caput: ex consimilibus Platonis, Theophrasti, Phavorini, aliorum: ex cimeliis Gothicis, in quibus mitra pileis non admodum absimiles: ex innumeris aliis (ut breve faciam) monumentis ostendit, quemadmodum usus ejusmodi ornamentorum ab usque Græcis ad Latinos & ad nos usque transierit: quemadmodumque ex Philosophia atque veteri sacerdotio gradum fecerit in doctrinam professionemque multiplicem recentiorum Academiarum: idque citatis passim Conciliis, Patribus, Poëtis, Historicis, Philosophis, Orationibus, quibus plenam faceret fidem. Hactenus etiam ille.

Ut verò nec meam de hoc argumento dissimulem conjecturam: non equidem negaverim ex veteris ævi Philosophorum & Sacerdotum, etiam ipsorummet gentilium, habitu in Christianos Græcos pariter Latinosq; mores quædam transiisse: quoniam tamen seculo Tertio decimo, prisca illa & obsoleta fuerunt & fortè nemini mortalium amplius nota, liquidum est, illos qui tunc temporis isthæc insignia Doctoratum instituerunt ad exempla antiqua non respexisse. Non potest etiam placere, quod de significatione annuli tradidit Pancirollus, de signandis nempe annulo responsis: quia annulus non est insigne solis Juris Doctoribus proprium, sed commune



omnibus etiam Doctoribus reliquis. Mea igitur sententia hæc est. PRIMO omnis illa insignium Doctoralium collatio caput demum seculo tertio decimo; quandoquidem ante istam tempestatem in ipsâ omnium primariâ Parisiensium schola solenni more nemo Doctor est creatus. SECUNDO ipsa illa insignia & solemnia quævis Doctoralia in id instituta sunt, ut quasi in Clericorum ordinem omnes Doctores & Magistri cooptentur. Et verò *Pileus* ille sacerdotalis est habitus: etsi Parisiis initio fuerit rotundus & denique anno M D XX ibi mutaverit in quadratum cornutum: teste harum rerum perquam curioso annotatore Joanne Launojo Theologo Sorbonico *l. de secessu Brunonis pag. 106.* Ad sacerdotium Justitiæ respexisse primum institutorem, quod statuit Pancirollus, non est verosimile, quoniam non solis Legum sed etiam Theologiæ Medicinæ & Philosophiæ Doctoribus conveniat. *Annulo* quasi pronubo præterea ab antiquis illis quidem temporibus, non minus atque hodie, Episcopalia munera conferri solent. *Longa* denique *vestis* quâ etiamnum passim Doctores uti solent, verè sacerdotalis est habitus, ceu rectè notavit Pancirollus. Tantum Liber & cathedra sunt aliquid Doctoribus proprium. Accedit, quod omnis graduum collatio olim facta fuerit & nunc quoque fiat, si jus Pontificium spectemus, quasi auctoritate alicujus Episcopi aut Archidiaconi, certè non nisi ejus qui clericali pollet dignitate. TERTIO institutum hoc omne deberi alicui Romanorum Pontificum per facit verosimile illud, quia & totum vergit in sacri ordinis augmentum, & in omnes scholas publicas est introductum: quale quid nullus Imperator Rex vel Princeps valuit efficere: quia denique plurimis olim persuasum fuit, omne scholasticum ad Romanæ Curiaë ditionem pertinere. QUARTO item per quam probabile mihi reddit illud

Illud quod Dissertatio habet pag. 137 de Privilegio Parisiensibus Doctoribus per Nicolaum IV<sup>um</sup> dato; perinde atque ab illo Nicolao est illud pereximium quod ibi attulimus in medium, ita etiam omne hoc de Doctoralium insignium collatione eidem acceptum esse referendum. Certè purpureus pileus Doctorum non potuit cœpisse prius quàm ille Cardinalibus fuit concessus. Fateor tamen hoc meum de Nicolao IV Papa auctore tantùm conjecturam esse: rem verò omnem quàm rectissime intelligi posse ex Privilegiis Pontificiis Parisiensi & Bononiensi Scholæ concessis, modò illa in lucem promerentur.

Ne quis porrò dubitet, Doctoribus olim insignia Doctoratus quæ appellantur tanquam Clericis esse concessa, atque adeo Doctores & Magistros Clericis fuisse annumeratos, adferam hoc loco saltim illa quæ notavit Pancirollus *Variar. lection. l. 1. cap. 89.* Cum enim dixisset, in Italia olim, omnes qui à mechanicis artibus vacabant, sive administrandis magistratibus vel conscribendis instrumentis, sive docendo sive interpretando juri operam dabant, Judices vocatos, subjungit hæc verba: Postea verò quam longis ac sacerdotalibus vestibus, quadratoque pileo, insigniri Doctores cœperunt, Clerici sunt appellati: ut ex vetustis instrumentis constat: Et alii ad eorum differentiam Laici. Quo vocabulo nostri Doctores saepe utuntur, cum quid Laicis displicuisse dicunt. Ut Paulus Castrensis, qui Laicos Legum imperitos interpretatur. Taceo, quod non olim duntaxat sed hac etiam tempestate compluribus fuerit visum, Academias esse corpora non secularia sed Ecclesiastica: quibus proinde ea quæ de instituto Doctoralium insignium attulimus non poterunt displicere.

## SUPPLEMENTVM LXIIX.

Ad pag. cXL.

**S**eculo quarto, Romæ pariter & Constantinopoli, omnem

ZZ 2

in

in studiosos liberalium doctrinarum jurisdictionem fuisse penes Præfectum Urbi, liquidum est cum aliunde tum ex Lege prima Codicis Theodosiani de Studiis liberalibus Urbis Romæ & Constantinopolis. Constitutio illa lata est à Valentiniano Valente & Gratiano Imperatoribus. Quam quia singulari libello illustravimus, non est quare hîc ex eâ quæ huc faciunt adferamus. Non igitur Athenis Atticis duntaxat sed etiam alibi passim, omnis Scholastica jurisdictio fuit ordinario magistratui civili commissa.

Fuit nempe magna quidem auctoritas isthac tempestate Atticorum Sophistarum, vel Atheniensium Oratoriarum Professorum: nulla tamen illis competiit jurisdictio. Enimvero magna sunt verba quæ Eunapius de Juliano Sophista protulit: καὶ ἐτυράννει γὰρ τῶν Ἀθηναίων ὅλην τὴν ἢ πᾶσαν νεότης παρ' αὐτοῦ ἐχώρει, ῥητορικῆς ἕνεκεν τὸν ἀνδρα καὶ μεγάλους φύσεως σεβασζόμενοι. In Proæresio idem Eunapius ait: καὶ τὴν ὅλην λόγους βασιλείαν εἶχεν αὐτοί. Item: τὸ δὲ Πραξιερσίδης τύραννος ἐδόκει τις εἶναι καὶ εὐτυχεῖν, ἢ δεσπὴ τῶν λόγων ἐδόκει καλῶς. In quantas porro factiones scindere potuerint etiam ipsas provincias Romanas, discere est ex iis quæ narrat Eunapius de iis quæ contigerunt circa electionem Proæresii. Ad hoc in frequente tunc usu fuit de cathedra Professoria, vox *ῥήγναι & βήμα* &c. Cæterum si rem ipsam propius intuearis, nihil hujus jurisdictionem aliquam significavit. Usque fane adeò parum contra petulantiam juventutis valuit ipse Proæresius, ut non nisi precibus potuerit mitigare vexationes insolentium juvenum, quibus illi adventantem Athenas Eunapium & ægrotum, malo tunc recepto more, exagitare instituerant: quod ipsemet narrat Eunapius.

SUPPLE:

Ad pag. cxlii.

**I**N Authentica legitur; *habitam super hac re diligentem inquisitionem Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicum, & aliorum procerum sacri palatii examinationem.* Quæ verba indicant illa tempestate τῆς νομοθεσίας usitatam rationem: diversam scilicet ab ea quæ monarchiæ competit. Sine causa porro nonnulli solliciti sunt, de non facta hîc mentione Electorum Principum: nondum enim tunc erant illi instituti, sed & serò cœpit illorum præ aliis Principibus singularis quædam in Tabulis Imperii commemoratio. Id potiùs mirere, Comitum nomen hîc non comparere: at vero latent illi sub titulo *Judicum*: quoniam reapse significatione prisca Germanicâ *Gravio* idem est quod *Judex*, ceu aliàs ostendimus, quam *Gravionum* dignitatem primi Franci cœperunt Comitum voce appellare propter aliquam Comitivæ antiquæ dignitatis & *Gravionatus* affinitatem. Majorem attentionem meretur occurrens hoc loco illud *Sacri Palatii*. Demonstravimus scilicet nos *cap. XI Censura Diplomatis Lindaviani*, Romanorum quidem Imperatorum Palatium omne *ἐπιλωὲς Sacrum* olim cognominatum esse, sed Francorum Regum illud solum quod vacabat Ecclesiasticis negotiis. An verò Fridericus Imperator hîc locutus sit more Romano an Francico, haud sine causâ dubites. Etenim renato tunc Justiniano jure, certum est mutasse, ex instinctu indubie juris illius magistrorum, nonnulla circa Cæsaream & Imperii publicam dignitatem, atque adeo tunc demum cœpisse illam appellationem *Sacri Romani Imperii*. Forte igitur & Palatio Cæsareo *ἐπιλωὲς* tunc *Sacri* titulus accessit ut & Constitutioni cuivis, recepto in Justiniano Codice more. Fortè tamen *proceres Sacri Palatii* tunc audierunt soli illi qui causas sa-

cras sive Ecclesiasticas tractabant: quandoquidem scilicet hæc etiam deliberatio credita fuit ad forum Ecclesiasticum pertinere, ut scholasticum omne. Ego nihil definire ausum: sed malo *ἐπιπέσει*.

## SUPPLEMENTVM LXX.

Ad pag. cxliii.

**D**iffertatio adduxit sola isthæc Authenticæ verba, quæ ad jurisdictionem spectant in Scholares. Hoc loco nos integram dabimus, quoniam deinceps etiam alia hujus Authenticæ veniunt illustranda. *Habitâ quidem super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicium, & aliorum Procerum sacri nostri Palatii examinatione, omnibus, qui causa studiorum peregrinantur, Scholaribus, & maxime divinarum atque Sacrarum Legum Professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi, quam eorum nuncii, veniant, & in eis secure habitent. Dignum namque existimamus, ut, cum omnes bona facientes, nostram laudem & protectionem omnimodò mereantur: quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis ejus ministris, vita subjeclorum informatur; quadam speciali dilectione eos ab omni injuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti, de divitiibus pauperes semetipsos exinaniant, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum est,) corporales injurias sine causa perferunt. Hac igitur generali, & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniat, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat: nec ob alterius cujuscunque provinciæ delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat: scituris hujusmodi sacræ constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Recloribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitu-*

restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notâque infamiae eis ipso jure irrogandâ, dignitate sua se carituros in perpetuum. Verumtamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit: hujus rei optione data Scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsius civitatis Episcopo, (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiamsi causa justissima fuerit, à talis conamine cadat. Hanc autem legem inter Imperiales Constitutiones, scilicet sub titulo *Ne filius pro patre, &c.* inseri iussimus. Dat. apud Roncalias, anno Domini 1158 mense Novembri. Hactenus Authentica isthæc. In qua non nisi de perquam paucis agi liquidum est, si verba spectemus: & tamen, quod meritò mirere imò improbes, solent vulgò tantum non omnia Academicarum privilegia ab interpretibus quibusdam hinc exsculpi; quorum tamen pleraque longo post tempore demum & per partes sunt instituta. Enimvero laxis illis interpretationibus, me quidem iudice, verus Authenticæ sensus pene interiit. Sed & cum Privilegia sint stricti juris, non est fas isthæc ultra verborum præscriptum extendere.

## SVPPLEMENTVM LXXI.

Ad pag. cxliv.

**S**Ecuritatem adeundi loca, in quibus litterarum exercentur studia, utque in iis secure possint habitare, non Scholaribus duntaxat peregrinantibus, sed etiam & quidem maxime divinarum humanarumque Legum Professoribus, nec non eorum nunciis, jam tum in hac Authentica indulserat Imperator. Itaque hæctenus par omnium horum est ratio. Dixeris tamen haud abs ratione, ad solos omne hoc peregrinantes pertinere, non autem etiam ad eos qui nati in locis litterarum studio consecratis ibidem in patria suâ literis dant operam: quibus nempe jam tum per ordinarios magistratus satis fuit cautum.

cautum, nec proinde similia cum peregrinantibus pericula fuerunt metuenda. Non porrò ad omnis doctrinæ sed solos Legum Professores & Studiosos Authentica hæc spectat. Id quod non est quod miremur; quandoquidem isthac tempestate non tantum non Bononiæ, sed nec alibi per universas Imperii terras aliud quoddam doctrinæ genus in Scholis doceretur: secus quam Parisiis & in Britannia obtinebat.

Quod forum attinet, de solorum Scholarium litibus aliquid sub finem Authenticæ est constitutum: nec videtur trahendum hoc etiam ad Professores. Disertè enim solis Scholaribus data est fori optio: nec Professorum aliquis habuit magistrum coràm quo potuerit conveniri. Verosimile mihi est, Professorum causas ad forum Ecclesiasticum ordinarium tunc pertinuisse, quandoquidem jam tunc temporis Professores clericorum fuerunt ordina accensiti. Quæ res deinde in quam multis locis plurimum mutavit.

## SUPPLEMENTVM LXXII.

Ad pag. cxliv.

**D**E permessa optione Legum, jam tum seculo nono in Italiam introducta, diximus latius *l. de Origine Juris Germanici cap. 20 pag. 107.*

## SUPPLEMENTVM LXXIII.

Ad pag. cxlv.

**V**T liqueat optionem fori etiam olim aliàs fuisse in usu, adferemus hoc loco doctissimi & Juris quoque prudentissimi scriptoris Jacobi Gothofredi Dionysii F. verba quædam ex illo elegantissimo commentariolo, quem seorsim ad *Leg. Si Barsatorum 13 Cod. de Fidejussorib.* conscripsit. *Optio- ni, inquit, præventionis, locus olim esse quandoque poterat, sive in transmittendis reis à municipali magistratu, ut h. l. sive in vindicandis ab uno diligentiore è pluribus iudicibus competentibus, sive etiam*

etiam in eligendo iudice à litigatore ut l. 1. Cod. de off. Recl. prov. & t. 36. C. Theod. de appell. Pariter ut simili alternativæ seu optioni in Ecclesiasticis quoque negotiis quandoque locus fuit: referendi inquam de Fide, agendique vel apud Metropolitanum Provinciæ aut Exarchum diæceſeos; ut vel ex ſolemni Hieronymi ep. 6 1 diſcimus, & ex canone 9 & 17 Concilij Chalcedonenſis. Hæc Gothofredus. Eſt autem optio fori etiam hodie frequentiffimi uſus: quandocumque ſcilicet cauſa aliqua non eſt aſtricta uni foro ordinario ſed ad multa fora pro libitu partium poteſt deferri.

## SUPPLEMENTVM LXXIV.

Ad pag. cxlvii.

IN Diſſertatione vocem Authenticæ *Dominum* accepimus de domino loci ſive civili magiſtratu. Jam tum autem in *Addendis pag. 194* annotavimus, haud vero abſimile videri, *Dominum* hæc ſignificare *magiſtrum*. Et verò Italis ea tempeſtate, quâ conſtitutio illa Friderici Imperatoris prodiit, *κατ' ἐξοχῆς* Scholaribus audiviſſe *Domini* voce magiſtrum, liquet non ex iis duntaxat quæ in addendis attulimus ſed etiam ex plurimis aliis, atque adeo & ex Ottonis Murænæ illa narratione, quam adduximus Supplemento quinquageſimo primo.

Notandum præterea, non dici in Authenticâ *Magiſtros*, ſed *Magiſtrum*; nec fieri mentionem Scholæ Rectoris. Utrumque autem arbitror factum, quia tunc temporis nondum obtinebant collegia Profeſſorum aut Magiſtrorum, ſed ſinguli docebant & agebant res ſuas. Id quod Pariſiis quoque eo tempore factum, jam Diſſertatione quarta docuimus: nec obſcure indicatur etiam illâ Murænæ narratione de Bononiensibus primis doctoribus. Non ergo iſthâc tempeſtate etiam Rector aliquis fuit Univerſitatis. Proindeque videtur Authentica accipienda de uno aliquo magiſtro ſive

A a a

doctore



doctore, cuius iudicio sese submittere potuit pro lubitu Scholaris, si quidem magistri plures reperirentur. Sic jam tum Guernerio vivente plures tales habuit Bononia; quorum tamen potissimus fuit Guernerius, ut & is qui in defuncti locum successit: de qua proinde successione reliqui magistri Wernerum consuluerunt, Muræna teste.

Notandum porrò est etiam atque etiam, Friderici hanc constitutionem pertinere ad Scholares jam tum in loco literarum studiis dicato viventes, de iis autem qui locum illum nondum attigerunt nihil esse constitutum. His igitur non competiit illa fori optio: nec potuerunt illi vel ab Episcopo vel à magistro iudicari. Unde manifestum est, illos mansisse jurisdictioni ordinariorum cujuslibet loci magistratuum obnoxios.

## SUPPLEMENTVM LXXV.

Ad pag. cXLVII.

**Q**Uæ in Dissertatione habentur de tribus optivis Scholarium iudiciis, ut & de Domino loci, illa jam retractavimus: ac proinde omnino mutanda sunt. Rectiora etiam paulo ante attulimus de eo, si Scholares sint adhuc in itinere: nempe tunc optionem fori admitti non posse, Authenticæ quidem hujus auctoritate. Est autem fortassis vero haud absimile, auctores hujus consilii, nempe de iudicio scholatum Episcopo & Magistris concedendo, fuisse illos qui tunc temporis Conventui publico interfuerunt Bononienses Legum professores, & hos spectasse illud quod Justinianus constituit *l. omnem c. de veteri jure enucleando*, ubi coërcitio petulantium juvenum qui Beryti vivebant studiorum Juris causâ, ex parte committitur *Episcopo & Legum Professoribus*. Convenit porrò isthæ jurisdictioni aliquatenus etiam Platonis Legibus, quas ille voluit in optimâ republicâ observari. Etenim *l. XII præ.*

præclari mo nunquam satis laudandi Legem operis, constituit, ut de injuriis illatis alicui Philosophicæ Scholæ, minoribus quidem Sacerdotes, majoribus autem rerum venialium curatores, cognoscendi judicandique habeant potestatem.

## SUPPLEMENTVM LXXVI.

Ad pag. CLVII.

**R**eipublicæ alicujus formam in Parisiensi quidem schola cœpisse jam seculo tertio decimo, videtur certum esse & posse securè affirmari. Et verò integro illi corpori Academico non defuisse *Rectorem*, liquet ex verbis epistolæ Innocentii quarti aut sexti ad Universitatem Parisiensem scriptæ, quæ fide Middendorpii jam tum in Dissertatione adduximus pag. 151. *Statuimus quod nullus in Universitatem vestram Magistrorum & Scholarium, aut Rectorem vel Procuratores vestros cujuscunque aut quarumcunque Facultatum &c. audeat sententiam promulgare.* Audimus hic simul nomen *Facultatum*: quo patet, tunc temporis fuisse Parisiis jam varias Facultates sive collegia doctrinarum. *Procuratores* porro *Facultatum* videntur illi esse qui aliàs *Decani* audiunt. Fuisse autem & *Decani* appellationem tunc usu Parisiis receptam, ostendunt verba Lanfranci Mediolanensis patriæ sed Parisiensis Medicinæ Doctoris, quæ ille habet sine operis *Chirurgia completæ* dicti, scripti anno 1295. ubi ait, *se à quibusdam Doctoribus, & nominatim à Magistro Joanne Passavante Medicorum Decano, nec non à quibusdam valentibus Baccalaureis rogatum, ut lectiones Medicas aggredere, tanta subinde Scholasticorum multitudine fuisse stipatum, ut eorum centesima parte se minime dignum agnosceret & arbitraretur.* Cum autem Medicis suus fuerit Decanus, non potuerunt non & Theologi aliquem habere & Philosophi. Jam porrò & *Cancellarium* tunc fuisse constitutum,

Aaa 2

à quo

a quo Artistarum qui appellabantur & Medicorum collegia honorum Academicorum collationem petierint, jam tum notum est ex Bullæ Gregorii IX Papæ illis verbis quæ non in Supplementis duntaxat sed in Dissertationibus sæpiùs protulimus in mediam. Illis nempe: *De Physicis autem & Artistis Cancellarius promittet, bonâ fide examinare magistros, & non nisi dignos admittens repellat indignos.* Ubi etiam *examinum magistralium* deprehendimus memoriam. Procul dubio autem habuit tunc & Theologica Facultas suum Cancellarium: quia isthac tempestate cœperunt utiq; graduum Theologicorum qui vocantur discrimina, & prævia honoribus varia exercitia, ceu jam tum ex Filesaco in *Dissertationibus* non semel docuimus. Denique verò & Jurisdictionem aliquam singularem Academiae tunc fuisse concessam ostendimus. Ex quibus omnibus manifestum sit id quod diximus, Rempublicam nempe Academicam quandam seculo Christiano decimo-tertio Parisiis institutam esse. Eapropter arbitramur, & Bononiæ idem quid factum, ut & Patavii aliisque in Italiae locis, ubi tunc Scholæ Academicæ sunt natæ.

Quamquam verò respublica aliqua Academica jam tunc cœperit, verum est tamen id quod habet *Dissertatio*, in Germania nostra illam formam, quæ jurisdictionem solis tribuit Professoribus, longè esse recentiore.

## SUPPLEMENTVM LXXVII.

Ad pag. CLVIII.

Quæ narravimus de vindicata duorum Scholarium Parisiensium morte, nescio an non facta fuerint, ideo quod Scholares illi simul fuerint clerici. Ita autem isthac jure non possent trahi ἀπλῶς ad studiosos omnes quamvis laicos. Id quod monendum duximus,

SUPPLE-

Ad pag. CLIX.

**D**iximus, instituta Academiarum varia esse, nec certo posse defini omnium primam originem. Id longe esse verissimum nemini non est notum, qui quidem ad res Academicas attenderit. Inquam multis tamen, & porissimis quidem, Academiae omnes conveniunt, nunc quidem temporis, etsi non statim à primo initio. Cujus rei causa est, quoniam recentiores quæque statim circa principia nactæ sunt, Pontificum Cæsarum aut Regum beneficio, ea omnia quæ vetustiores quæque per partes & sensim fuerant consequutæ. Certe de singulis defini nihil certi potest, nisi inspectis earum publicis Tabulis aut Diplomatum, factâque diligenti omnium collatione. Id quod hactenus fieri non potuit à quoquam, quando quidem tabulæ istæ non sunt editæ in lucem aut ad omnium notitiam pervenere.

SUPPLEMENTVM LXXIX.

Ad pag. CLXI.

**A**notavit nonnulla de honore Academiis habito I. Limnæus *l. 8 Jur. Publici cap. 1.* ut & in utroque *Additionum* tomo ad caput illud n. 74: quæ digna sunt ut cum hisce nostris conferantur. Nec enim vacat illa exscribere, præsertim quia Limnæana isthæc etiam vulgi teruntur manibus.

SUPPLEMENTVM LXXX.

Ad pag. CLXVI.

**D**E Legibus quas Constantinus Magnus in Professorum gratiam condidit, præclare egit Franciscus Balduinus, Jurisconsultus verè πολιτικός (quæ rara laus est) in *l. 2. sui Constantini Magni, sive de Constantini Imperatoris Legibus Ecclesiasticis ac Civilibus Commentariorum*: qui liber, ut viri plerumque, est sine exemplo, multâ eruditione & prudentia refertus.

Aaa 3

SVP.

Ad pag. CLXVII.

**I**N Honorii & Theodosii isthac constitutione etiam *Philosophie præceptoribus* prisca à Cæsaribus indulta privilegia esse confirmata, meretur annotari; quandoquidem jam pridem Philosophis minus faverant Cæsares, seculo etiam tertio Christiano: qua de re nonnulla jam monuimus Supplemento quinquagesimo sexto. Haud fuerit fortassis absque pretio operæ nonnulla heic addere Ulpianea, excerpta ex l. *Præses ff. de Extraordinariis cognitionibus. Præses provinciæ de mercedibus jus dicere solet: sed præceptoribus tantum studiorum liberalium. Liberalia autem studia accipimus, quæ Græci ἐλευθερίασ appellat. Rhetores continebantur, Grammatici, Geometra. Medicorum quoque eadem causa est, nisi quod iustior: cum hic salutis hominum illi studiorum curam agant, & ideo his quoque extra ordinem jus dici debet. &c. An & Philosophi Professorum numero sint? Et non putem; non quia non religiosa res est, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere. Proinde ne Juris quidem civilis Professoribus jus dicent. Est quidem res sanctissima civilis sapientia, sed quæ pretio nummario non sit aestimanda; nec dehonestanda: dum in iudicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit: quædam enim tametsi honeste accipiantur inhonestè tamen petuntur. Hæc Ulpianus: nisi fallor, & Philosophis & Legum Professoribus haud parum iniqua. Quasi scilicet sanctitas doctrinæ prohibeat, honorarium aut laborum aliquam mercedulam petere. Quanto rectius Apostolus, illi qui servit altari vitæ subsidium ex altari deberi, statuit! Benè verò est, quod nemo non hodie illa Ulpianea saltim contrariis moribus improbet: tantum merito miretis, Tribonianum illa Corpori Legum inseruisse cum tamen ipse pecuniæ fuerit cupidissimus, imò hoc vitio pene infamis.*

SVP.

Ad pag. CLXIX.

**F**ortassis meretur inter Studiosorum privilegia primo loco referri, quod ex Ulpiano habetur *l. 17 ff. de rebus creditis*. Cum filius familias viaticum suum mutuum dederit, cum studiorum causâ Romæ ageret: responsum est à Scævola, extraordinario iudicio esse illi subveniendum. Paris notæ sunt quæ habentur itidem ex Ulpiano *l. 18. si longius ff. de iudiciis*, ac proinde etiam digna quæ hîc reperantur. Nam & Juliano placet: si filius familias legationis vel studiorum gratia aberit, & vel furtum vel damnum injuriâ passus sit, posse eum utili iudicio agere, ne dum pater expectatur impunita sint maleficia: quia pater venturus non est, vel dum venit se subtrahit is qui noxam commisit. Unde ego semper probavi, ut si res non ex maleficio veniat, sed ex contractu, debeat filius agere utili iudicio: fortè depositum repetens, vel mandati agens, vel pecuniam quam credidit petens; si forte pater in provincia sit, ipse autem forte Romæ vel studiorum causâ vel alia iusta ex causa agat: ne si ei non dederimus actionem futurum sit, ut impune fraudem patiat, & egestate Romæ laboret, viaticulo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei destinaverat. Hactenus Ulpianus. Satis autem apparet, hoc omne ἀπλῶς ad quosvis filios familias quorum parentes alibi vivebant, non autem ad solos, qui studiorum causâ alicubi commorabantur, pertinuisse.

Quia omnia Studiosorum veteri jure Justiniano concessa privilegia, egregiè in unam quasi summam congeffit is quem paulò ante laudavi Balduinus, & quidem in ipso commendato opere, illa huc transferri & legi haud fuerit absque pretio.

Ut magis intelligamus, inquit, non Professorum tantum, sed & auditorum & discipulorum habitam esse rationem: meminimus, quod à jurisconsultis responsum est, cum filius familias Romæ degens studiorum

*l. cum fil. fam. si cert. pet. l. si longius & de iudiciis.*

diorum causa viaticum suum alteri credidisset, à Prætoze illi dari  
 I. Julian. §. extraordinariam & utilem actionem, ut id repetere ipse possit, &  
 quod dici- absente Patre agere. Sed & in studiorum causam filiosfamilias  
 tur, ad SC. Macedon. l. mutuum dari posse, neque tum Senatusconsulto Macedoniano locum  
 Maced. C. fore placuit. Nam & Ulpianus eleganter ostendit, ad paternæ  
 eod. tit. pietatis officium pertinere, filios non modò alere sed etiam in studiis  
 l. quæ pat. alere. Et tutor jubetur, mercedes pupilli præceptoribus constitue-  
 fil. Famil. re. Quod & in causâ pupillæ dicitur: nam hanc quoque literali-  
 l. cum. pl. §. bus artibus instituendam esse, ait Julianus. Denique pupillo in  
 tut. De ad- bonorum possessionem misso, ex Carboniano edicto non solùm alimen-  
 l. de bon. §. ta præstanda esse, sed & necessarias ad studia impensas. Quid  
 non sol. De Carboniano reliqua commemorem, favore studiorum singulari jure constituta:  
 edicto. Prætor absentiam studiorum causa, prope ut eam quæ esset reipubli-  
 l. nec non ca causa, justissimam esse judicat & singulari favore prosequitur.  
 Ex quib. Sed neque ante annos viginti quinque quinquam prætextu publi-  
 caus. maj. corum munerum posse avocari à studiis & Schola rescriptum est.  
 l. 1. & 2 C. Qui ætate  
 vel prof. se Quæ res facit, ut non omnino etiam insolens esse videatur, quod in  
 exculant. hac Constantini constitutione postremo loco notavimus, privilegio  
 quodam & præscriptione fori defendi Professores, ne litis causa te-  
 mere aliò avocentur atque distrabantur. Quale deinde privile-  
 gium & Studiosis ipsis discipulis concessum fuisse, Justinianus signi-  
 ficat. Scribit enim, Constantinopolitana in Schola Præfæctum Urbis  
 fuisse Judicem adolescentium, qui Furi Civili in ea operam dabant.  
 In Berytiensi verò civitate (quæ Legum altera Academia) vel Præ-  
 sidem Phœnicia, vel Episcopum, vel Professores ipsos. Hæc  
 omnia doctissimus Balduinus.

## SUPPLEMENTVM LXXXIII.

Ad pag. CLXXI.

**L**Egem hanc primam Codicis Theodosiani de Studiis li-  
 beralibus Urbis Romæ singulari post Dissertationem e-  
 ditam commentario illustravimus, quia similis nulla reperitur,  
 & ta-

& tamen multa habet obscuriora. Is commentarius brevi iterum recensendus à nobis est: adeòque hoc loco nihil addemus.

## SUPPLEMENTVM LXXXIV.

Ad pag. CLXXIIX.

**P**rivilegiorum quibus Academiae nostri temporis, eorumque cives, fruuntur, quatuor summa sunt genera. Quaedam videlicet eorum continentur scriptis tabulis Pontificum, Caesarum, Regum, Principum & universim eorum quibus ejusmodi beneficia concedere jus & facultas competit. Quaedam consuetudinaria sunt, & à solâ consuetudine vim & auctoritatem suam nanciscuntur. Quaedam per consuetudinem quidem inceperunt post tamen lege scriptâ confirmata sunt & quasi roborata. Quaedam denique à doctoribus duntaxat seu juri aut æquo consentanea producta sunt: quæ tamen minùs sunt firma, quandoquidem ipsi doctores sententiis discrepant, & sæpenumero imbecilibus nituntur argumentis, quod cum primis observare est in Petri Rebuffi & Horatii Lucidi libris de Privilegiis Studiosorum. In verbis Tabularum Maximiliani II, quæ adduxit Dissertatio, haud obscura fit mentio trium primorum generum: quod nempe privilegiorum alia jure scripto, alia consuetudine nitantur, & omnia denuo Academiae Juliae confirmaverit scriptis illis tabulis Augustus idemque optimus Imperator.

Dignum porro noratu est, in Diplomate Cæsareo isto non memorari singula, sed in genere tantùm concedi Juliae nostrae Academiae privilegia sive scripta sive consuetudinaria, Academicarum Bononiensis, Senensis, Patavinæ, Papiensis, Perusinæ, Parisiensis, Lipsiensis aliorumque Studiorum privilegiorum. Quod si igitur omnia Juliae concessa privilegia exactè scire velis, tibi omnium Academicarum Privilegiatarum

Bbb

rum



rum & tabulas scriptas & consuetudines pernoscendæ erunt. Utrum verò etiam ad Britannicas, Hispanicas, aliasque exterarum omnes Academias sit respiciendum, dubito; idque quoniam in nullis tabulis Imperatoris aut Pontificis, quas equidem vidi, earum sit mentio. Sunt alioquin in primis Anglicæ plurimis atque eximiis privilegiis exornatæ: quod cum aliunde tum ex Pitsei libro de Oxoniensis Academiæ Antiquitate est manifestum. Ne quid tamen porro dissimulem, verba ejusmodi Tabularum, si usum videas, magis sapiunt formulas Concellariæ, quàm ut reapse omnia illa privilegia largiantur: ac proinde haud videntur rigide cuncta accipienda atque exigenda esse.

In similes verò formulas & similia privilegia conditæ sunt, & jam 1502 à Maximiliano I Wittebergenfis, & à sequentibus Cæsaribus saltim omnes Protestantium Academiæ, quæ quidem cœperunt intra hosce centum quinquaginta circiter annos. Sunt autem illæ sic satis multæ & florentes. Est enim iniquissima & impudens nonnullorum hostium calumnia, Protestantibus exosas esse Academiæ & Scholas omnes: cum utique saltim in Germania hæc & numero & florente statu reliquis fortè sint superiores, certe non multum impares, præsertim si annumeres etiam illas, quæ pridem ante cæperant quidem post autem in mores & ritus Protestantium transferunt.

## SUPPLEMENTVM LXXXV.

Ad pag. CLXXXIV.

**I**N Accursii verbis illud dignum notatu est, quod dicitur, *non esse consuetum ut Studiosi pedagiam solvant.* Inde enim liquet, jam tunc temporis, saltim in Italia, ubi vixit Accursius, immunitatem istam vectigalium fuisse recepti moris, quacunque etiam illâ auctoritate cæpisset. Quam  
levia

levia autem sint reliqua pro isthac immunitate ab Accursio adducta; nemini non manifestum esse potest, qui citata legum Romanarum verba ipsa inspexerit, & firmâ ex iis collectione vectigalium libertatem exsculpere attentaverit.

**O**Mnibus in populis, latè quâ diditur orbis,  
 Doctrinæ fuerint quæ prima, exordia coetus:  
 Utque sibi passim Sapia condere templa  
 Caperit, & sacras Studii exercere palæstras:  
 Tandem imò in sylvis Academi quærere verum  
 Instituens, pulcras dederit mortalibus artes;  
 Audierat quondam, mihi adhuc florentibus annis,  
 Tunc Bellona licet turbaret ubique Minervam,  
 (Nequicquam: quid enim efficiat sine numine cœli?)  
 In Panhelmiacis me Julia Diva loquentem,  
 Cum plausu juvenum caveæ magnique Senatus  
 Iam cani infestant. Rursus tamen illa docere,  
 Quin aliis etiam multis ditare repertis,  
 Atque in communem mundi protrudere lucem:  
 Horribili quamvis iterum nos lumine Mavors  
 Adspiciat, sævusque iterum cervicibus instet:  
 Impulit à pueris rerum mihi culta cupido  
 Priscarum, nec non doctûm reverentia patrum.  
 Ast Tu, si fas est, vultu hæc FERNANDE sereno  
 Excipe: quandoquidem sunt magni nominis aræ  
 Consecrata tui, votisque dicata supremis,

Bbb 2

Fallor?

382  
Fallor? an hæc oculis etiam dignaberis istis,  
Prisci ævi queis cuncta soles monumenta rueri,  
Iudicio expendens æquo sacra atque profana.  
Angariæ quamvis tenero perfusus amore,  
Nunc aded Grajos seponas atque Latinos,  
Et patriam æterno doctoque volumine scribas.

Salve Teutifetum nostræ telluris ocelle.

Salve grande hujus decus ævi atque incrementum,  
Non alium talem circumdedit infula vatem,  
Principis excelsa non Caesar sede locavit.  
Non ventura pari committent secula Padrum,  
Qui velit usque aded multum hoc de Fonte mereri.  
Non Mimigardiacos quisquam moderabitur ætus  
Suavius, & molli ponet fera bella quiete.

Maecte animo ingenti, Princeps. Tibi floreat ætas.  
Sera in centenos quondam feliciter annos,  
Cum solito Pindi plausu, latantibus & Diis.  
Tempora sic soboli memorabis prisca futuræ,  
Inter Hamadryadum choreas & Cynthia plectra,  
Amisio aridente simul rapidoque Visurgi.

DIPLO-